


Conrad Iken Abraham Friedrich Rückersfelder

Dissertatio Theologico-Philologica De Institutis Et Cerimoniis Legis Mosaicae Ante Mosen


Continuatio : Dissertationis Theologico-Philologicae De Institutis Et Cerimoniis Legis Mosaicae Ante Mosen, Continuatio

Bremae: Jani, 1751

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829328483>

Band (Druck) Freier  Zugang






383

a. B.
48. b. 8.

16.

Fa - 1092 (16.)

2. 29
3. 23
4. 22
5. 27
6. 2
7. 17
8. 1
9. 15
10. 14
11. 13



2.

29

3.

23

4.

22

5.

27

6.

2


9.

15.

16.

14.

13.



DISSERTATIONIS
THEOLOGICO-PHILOLOGICÆ

DE

INSTITUTIS

ET

CERIMONIIS

LEGIS MOSAICÆ

ANTE MOSEN,

CONTINUATIO,

S. SYNAXI AB JLL. LYC. CIVIBUS

A.D. JOVIS XXIII. A. MDCCLI CELEBRANDÆ, PRÆVIA,

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO,

CONRADO IKENIO

SS. TH. D. ET P. P. O. AD ÆD. D. STEPH. PAST. PRIM.

ET

RESPONDENTE

ABRAHAMO FRIDERICO RÜCKERSFELDER

S. S. MIN. CANDIDATO,

AMICÆ CONCERTANTIUM συζητήσεσι EXPOSITA

L. H. Q. S.

B R E M Æ,

TYPIS VIDIÆ B. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS

GYMNASII TYPOGRAPHI.

DISSERTATIONIS
THEOLOGICO-PHILOGICAE

DE
INSTITUTIS
ET

CERIMONIIS
LEGIS MOSSAICAE
ANTE MOSEN
CONTINUATIO

S. SYNAXI AB ILL. LIC. CIVIBUS
AD. JOVIS XXIII. A. MDCCL. CLERICORUM PRÆVA.

PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI
GONRADO KERNIO
S. THEOPH. O. AD. D. STEPH. PASTORIS

ET
RESPONDENTE
ABRAHAMO FRIEDRICO RICHERSBERGER
S. THEOPH. CANDIDATO
AMICE CONCERTATIONUM
J. N. G. S.

B. R. N. M. W.
THE VICE-CHANCELLOR, GENERAL SECRETARY
DUMMIG, TYPOGRAPHUS

11.
PER ILLUSTRIBUS,
PER QUAM MAGNIFICIS, ATQUE
AMPLISSIMIS BREMANÆ LIBERTATIS
STATORIBUS,
PATRIÆ PATRIBUS OPTIMIS.

D^N. HENRICO LAMPE,
JCTO SUMMO, CONSULI SENIORI, CUM MAXIME
PRÆSIDI, ILLUSTRIS REIPUBL. HABENAS PRUDENTIS-
SIME MODERANTI, SUPREMO BIBLIOTHECÆ PUBLI-
CÆ INSPECTORI, ECCLESiarUM IN AGRO BREMENSI
VISITATORI VIGILANTISSIMO.

D^N. CHRIST. SCHOENE,
JCTO CONSUMMATISSIMO, CONSULI, XENODO-
CHII AD D. REMBERTI UT ET ÆDIS D. MICHAELIS
PROVISORI, VIRO, DE PATRIA, LITTERIS, INGENUIS-
QUE ARTIBUS CONSTITUENDIS MERENTISSIMO.

D^N. VOLCHARDO MIN-
DEMAN,
JCTO EMINENTISSIMO, CONSULI, TOTIUS REI-
PUBLICÆ SALUTI SUMMA DILIGENTIA ET INTEGRI-
TATE INVIGILANTE.

D^N. HENR. GERHARDO
SCHUMACHER,
JUDICI HÆREDITARIO IN BORG FELD, JCTO EXCEL-
LENTISSIMO, CONSULI, ILL. QUONDAM GYMNASII
SUMMO DECORI, NUNC EJUSDEM PER PLURES AN-
NOS INSIGNI COLUMINI, SCHOLARCHÆ OB SINGU-
LARIA IN MUSAS BENEFICIA NUMQUAM SATIS
LAUDANDO.

NEC NON
V I R O
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
ET CONSULTISSIMO,
D O M I N O
HIERONIMO KLUGKIST,

ICTO PRÆCLARISSIMO, PATRIÆ REIP. SENATORI
MERENTISSIMO, REI MILITARIS PRÆFECTO, ÆDIS D.
MICHAELIS INSPECTORI, UT ET ILLUSTRIS SCHOLÆ
CONTITUENDÆ DUUMVIRO, INSIGNIBUS MERITIS
INCLUTO,

V I R I S,

QUORUM MAXIMA IN LITE-
RAS BENEVOLENTIA SUM-
MIS SEMPER DEPRÆDICAN-
DA ERIT LAUDIBUS,


MUSARUM TUTORIBUS, ET PRO-
MOTORIBUS BENEVOLENTIS-
SIMIS,

MUNIFICENTISSIMIS PATRONIS, FAU-
TORIBUS, MÆCENATIBUS,

QUA, TANTOS VIROS PROSEQUI FAS EST,
REVERENTIA ET SUBMISSIONE,

DISSERTATIONEM HANC

NUNCUPAT, SACRAMQUE FACIT,
RESPONDENS.



DISSERTATIONIS,
DE
INSTITUTIS ET CERIMONIIS
LEGIS MOSAICÆ ANTE MOSEN,
CONTINUATIO.

SECTIO II.

§. I.



Erutus priori Dissertatione propiusque determinatis Institutis atque Cerimoniis Legis Mosaicæ ante Mosen, proximum est, ut in horum omnium originem inquiramus. Hæc autem non una est. Quædam enim Deum ipsum, alia homines Auctores habent. De quibus ut tantò certius constet, quosdam Canones præmittemus, ad quos omnia examinari atque dijudicari poterunt.

Λ

Ca.

Canon 1. Origo quorundam institutorum atque ceremoniarum in sacris disertè tradita est, aliorum non item, neque ut id in omnibus fieret, opus erat

Priorum exempla mox ad Can. 4. occurrent. Non id autem in omnibus locum habere, res ipsa clamat: unde Viri Docti tanto opere in eorum origine assignandâ dissentiunt. Neque id mirum est, cum scriptura S. nobis non ex professo quoddam Antiquitatum Systema tradat, sed talia sæpe in brevissimâ rerum gestarum recensione in transitu tantùm tangat. Non opus quoque eo erat, quia sufficiebat, ut de rebus ipsis in familiâ sanctâ certò tantùm constaret. Inprimis cum longævitas Patriarcharum efficeret, ut de illis posterius, certissimâ traditione, per paucorum manus satis erudiri possent, cum *Methusalab* adhuc 243. annis cum *Adamo* non solum, sed & 98 cum *Semo*, *Isaacus* autem cum *Semo* adhuc 50 annis vixerit, atque aded, licet ab *Adamo* usque ad *Isaacum* ultra 2000. anni elapsi essent, per trium tamen hominum, *Adami*, *Methusalæ* & *Semi* ora manusque omnia *Isaaco* tradi potuerint. Quâ in re meritò nos stupendam providentiam admirabundos venerari decet.

Canon 2. Hinc ubi ea disertè tradita non est, sufficit, si aliis indubiis argumentis, aut probabili saltem ratione adstruatur.

Idoneorum argumentorum exempla statim ad Can. 3. habebimus. *Probabilem* autem *rationem* suppeditant, tum *allusiones* *Scriptorum Sacrorum*, tum, ceteris paribus, *similium similis ratio*, aut quarundam *ceremoniarum sequentibus temporibus cum aliis nexus*, inprimis si ipsa rei indoles, aut analogia fidei eò ducat, cujus rei exempla habebimus in primâ *sacrificiorum & ablutionum* sacrarum institutione. Eodem referri possunt *Scriptorum judaicorum* aut *profane antiquitatis testimonia*.

Can.

Can. 3. Quicquid ratio de præcipuis & essentialibus cultûs sacri partibus docere non valet, id necessariò Deum ipsùm Auctorem habere debuit.

Huc referri debent omnia ad placandum Numen destinata aut suscepta. Uti enim à solius Dei beneplacito pendeat, utrum & quo modo hominem peccatorem in gratiam recipere vellet, ita ipsius solius erat, non solum rem ipsam, sed & omnia eò facientia media, officia & cerimonias determinare. Accedit, quòd absque eo omnis istiusmodi cultus mera *εὐθελοῦς ἡγεμονία* foret, quæ non tantùm Deo placere nequit, sed & omnis veri Deumque decentis cultûs quædam abnegatio est. v. Ies. XXIX. 13. coll. Col. II. 18. 23.

Can. 4. Potuit autem aliquid variis modis Deum Auctorem habere, sive id immediatè disertis verbis præscripserit, sive exemplo suo docuerit, sive opportunam ei rei ansam suppeditaverit.

Sic ex. gr. disertis verbis *circumcisionem* instituit. *Dissectionem animalium & transitum per partes*, in solemniori foederis erectione, exemplo. Utrumque concurrat in primâ *Sabbathi* institutione. Ansam suppeditare potuit, occasionem occultâ providentiâ præbendo, remque dein ratam atque acceptam habendo. Uti autem Viri Sancti, nonnunquam tacito Numinis instinctu, certas actiones exseruerunt, ita & hac ratione aliquid introduci potuisset, à Deo dein approbatum. Verùm, ut id in peculiaribus casibus cum ratione statuatur, de eo evidentibus argumentis constare debet, quæ ubi desunt, non satis tutò eò refugitur, cùm ceteroquin facilè aliquid absque sufficiente ratione ex ingenio fingi possit.

Can. 5. Ubi Deus in externis & quæ ad essentiam cultûs non faciunt, eoque salvo se diversim de habere possunt, nihil determinavit, sed rem Ecclesiæ li-

29

23

22

2 27

19

16

15

14

13

bertati reliquit, multa ab hominibus primum
introduci potuerunt.

Ita ex. gr. comparatum est cum *locis* & *tempore* cul-
tûs publici, quamdiu Deus nihil circa hæc sigillatim
constituit, quâ in re aded eadem libertas meritò Ec-
clesiæ ante Legem adscribitur, quâ illa sub N. F. gaudet.

Can. 6. Nonnulla officia, ut exercitia pietatis in Deum
& charitatis erga proximum, ad quæ ipsa ratio ob-
ligat, potuerunt à piis ipsis quoque propius deter-
minari, uti æquitati, convenientiæ, temporum
aut locorum rationi & aliis, quæ circumstabant,
maximè respondere videbatur.

Huc rectè refertur peculiaris sui ipsius, aut quarun-
dam rerum ad cultum Dei consecratio, aut destinatio
atque erogatio eorum quibus proximus iuvandus ejus-
que commoda promovenda, ut & qualitatis aut quan-
tatis determinatio. Ex quo fonte sine dubio *primogenita* in sacrificiis, *vota* & *decimæ* originem habue-
runt.

Can. 7. Quæ ad statum civilem aut oeconomicum spe-
ctant, in illis quoque id meritò, sive disertâ homi-
num constitutione, sive tacitâ consuetudine, intro-
ductum creditur, quod naturali æquitati, saluti
publicæ, & commodis familiarum maximè conve-
nire visum.

Hæc sine dubio vera origo *patriæ potestatis*, digni-
tatis *principum* & *capitum in familiis*, prærogativa-
rum *primogenitorum*, juris *Goëlatûs*, *Leviratûs* & simi-
lium.

Can. 8. Fieri quoque potuit, ut quædam cerimonix
& consuetudines indifferentes, sive communi con-
sensu, sive fortuitâ aliquâ occasione, invalescere

cæ-



cœperint, quas dein femel receptas, posteritas, ut avitos mores continuavit.

Tale quid non solum locum habuit in abstinentiâ à גיר הנטה *f. nervo coxendicis*, sed & in ritu *exutionis calcei* in emtione venditione.

Can. 9. Uti non omnes consuetudines à Deo introductæ, ita nec omnes approbatæ, sed quædam ad tempus tantum toleratæ fuerunt.

Manifestum hujus rei exemplum existat in *polygamia*.

Can. 10. Præter illa instituta aut ritus quorum cognitio ad nos pervenit, major eorum adhuc numerus esse potuit, sed de quibus nihil hactenus determinare licet. De nonnullis quoque constat, sed quæ ad nostrum institutum non spectant.

Prius ipsa rei natura probabile facit, posterius ex illis, quæ Sect. I. §. I. monuimus, patet.

Ad horum Canonum cynosuram nunc omnia sigillatim excutiemus, quem in finem singula eodem ordine percurremus, quem in priori Dissertatione secuti sumus.

§. II.

Primo loco nobis illie meritò occurrebat Sacrificiorum oblatio, utpote ritus omnium reliquorum sacrorum maximè memorabilis, sed & cujus origo omnium obscurissima. Inquisiverunt idcirco in illam omni tempore Viri eruditissimi, sed nihil hactenus attulerunt, in quo cum ratione tutò consistere queas. Qui omnium longissimè à scopo aberrarunt, vel ex rationis principiis, vel humani ingenii figmento eum primum introductum à Deo autem postmodum approbatum esse contendunt. Præcipuos hujus sententiæ, tam inter Judæos, quàm Christianos omnium religionum, *Socinianos, Pontificios, Protestantes* atque *Remonstrantes*,

A 3

Patro-

29
23
22
2
27
19
16
15
14
13



Patronos enumerat Celeb. DEYLINGIUS Observat. Part. II. Obf. IV. Annumeratur illis quidem etiam OUTRAMUS, sed minus rectè, cùm is potiùs nihil determet, sed rem in medio relinquat. Nihil autem hac sententia dici potest inconvenientius.

1. Ratio sanè minimè docet loco hominis peccatoris innocuum animal, quod neque peccavit, neque cum peccato hominis quicquam commune habuit, inmolandum esse, hocque peracto Deum placari velle aut debere. Et si id ex rationis principiis sequeretur, nunquam abrogari potuisset aut debuisset, cùm rationis principia æternæ obligationis sint. Denique ipsis gentibus, id, licet morem hunc ex πατροπαράδοσει accepissent, adeò mirum atque incomprehensibile videbatur, ut exclamerent, ut fit, in *Distich.* vulgò CATONIS dictis, Lib. IV.

Cum sis ipse nocens moritur cur victima pro te?
conferatur qui eandem rem aliis ethnicorum testimoniis, quibus adeò non immoramur, fusè & doctè confirmat PFANNER. in System. Theol. Gent. Cap. XV. Quod si autem humani ingenii inventum esset, ad εθελοθρησκείαν pertineret, quæ Deo placere nullo modo potest vid. ad Can. 3.

2. Accedit quòd ne probabile quidem videatur, hominem sine peculiari Dei mandato, ausurum fuisse ullum animal neci dare, cùm ipsa natura potiùs à cæde abhorreat, nimisque audax atque temerarium videatur, creaturam Dei, sine supremi ejus domini jussu aut concessione, destruere. Frustra autem ad dominium homini in creaturas brutas concessum provocatur, cùm, ut Sect. I. §. III. visum, dominium minimè libertatem occidendi involvat. Adde dominium homini in statu integritatis concessum esse, quis autem credat hominem, in peccata prolapsum, dignumque adeò redditum, qui omnibus prærogativis excideret, ausurum statim fuisse violentas manus aliis creaturis ad eas vitâ privandas, injicere, inprimis cùm adhuc inscius planè esset, utrum id supremo omnium Domino placeret?

3. Scri-



3. Scriptura diserte docet Abelem in fide sacrificium præstantius obtulisse præ Caine, Deumque id benigniter respexisse, quin & ipsum testimonium accepisse quod justus esset Heb. XI. 4. Gen. IV. 4. quod, si fidem hic accipias pro rationali illa persuasione, quod ritus ille Deo placiturus, necessariò propriorem revelationem seu declarationem voluntatis divinæ præsupponit: five eam in emphasi sumas de fide in Jesum Christum, quam præcipuè hoc capite intendi ex comm. 26. coll. 39. 40. indubium est, & ex quâ solâ est justificatio peccatoris Hab. II. 4. coll. Act. XIII. 30. & Rom. X. 4. tantò magis id patet, quia extra hanc revelationem nihil de mediatore aut Servatore cognoscitur, & hæc in primis fides ex auditu est Rom. X. 14. 17.

4. Idem tantò est evidentius, quò magis Scriptura ubique inculcat, omnia sacrificia *ἱλαστικά* typos fuisse hujus mediatoris, in quantum is sacrificio corporis sui veram expiationem adducturus, & *ἱλασμός* pro peccatis futurus. v. Col. II. 17. Heb. IX. 12. 13. 14. 26. XI. seqq. coll. Ephes. V. 2. & I Joh. II. 1. 2.

5. Accedit quod uti sine tali fide *ἀδύνατον* est Deo placere, Heb. XI. 6. ita quoties quis in externis illis sacrificiis hæsit, & sine hac fide ea obtulit, Deo maximè exosa & ab eo rejecta fuerunt, v. Psalm XL. 7. & L. 8. sqq. & Rom. IX. 31. 32. & X. 3. 4. conf. CLOPPENBURG. in *Scholâ Sacrific.* p. 58. HEIDEGG. *Hist. Patriarch.* Tom. I. Exercit. V. BUDD. in *Select. Jur. Nat.* §. 40. DEYLING. loc. adducto & in primis CHRISTOPH. WITTICH. in *Diss. geminâ de Antiq. Sacror. Israël.* Lugd. Bat. 1685. JOH. HENR. HOTTING. *itidem* in *Dissert. geminâ de origin. Sacrif. Patriarch.* Marp. 1706. & quos laudat Wolf. ad Lund. Lib. III. Cap. XXXIII. in not.

§. III.

Præcipua autem objectio, quæ nec specie caret, est, quòd ne verbum quidem in Sacris de eorum institutione exister, nec probabile sit, vel historicum sacrum nullum hac

24
23
22
2
27
17
15
14
13

hac de re verbum injecturum, vel si id ab ipso neglectum, ne unicum quidem Scriptorum reliquorum Sacrorum, saltem per accidens eam tacturum fuisse. Verum præterquam quod hoc tantum argumentum negativum sit, à silentio Scriptorum Sacrorum desumptum, quod per se nihil probat, cum variæ ejus causæ esse poterint, variæque insuper aliæ res dentur, de quarum institutione nihil disertè memoratur, licet eas à Deo institutas esse, ambigi nullà ratione queat & inprimis hoc quoque per ea quæ Can. 1. monita sunt, necessarium non fuerit, non desunt plures *περιστάσεις* quibus probabili ratione colligi potest (conf. Can. 2.) sacrificia hæc statim cum primâ foederis gratiæ erectione, jam introducta esse.

1. Probabile sanè id inquam facit antiquissimus mos, quo foedus Dei cum hominibus semper, tam ante Legem quam sub eadem, mactatis victimis solemniter confirmatum fuit. v. Gen. VIII. 20. IX. 1-11. 12. XV. 9-18. Exod. XXIV. 5. seqq. 2 Chron. XXIX. 10. seqq. XXXIV. 31. coll. XXXV. 11. 12. conf. & quoad phrasin Psalm L. 3. Quis igitur cum ratione dubitare potest, idem in primâ foederis gratiæ erectione, cujus promulgatio modo in proteu angeli facta erat, observatum fuisse? Conf. quæ ad Can. 2. monita. Inprimis

2. quia manifestum est, animalia verè eo tempore eaque occasione mactata fuisse, ex quorum pellibus Dominus tunicas confecit, easque protoplastis induit. Jam autem duplex tantum ratio erat, cur antiquitus victimæ cederentur, vel ut homines earum carne vescerentur, vel ut Deo in sacrificia offerrentur. Prius hinc locum obtinere non potuit, quia Sect. I. §. III. indubiis argumentis evicimus *ἡρώδης* ante diluvium neque licitam neque usitatam fuisse, hinc alter tantum finis obtinere potuit, ut nempe Deo in sacrificia cederent.

3. Idque tantò magis, quoniam hoc modo memorato pellium usui optimè convenit. Plerique ferè omnes, saltem qui adductam per Christum justitiam, ejusque gratuitam

tam adplicationem cum sanctificante Spiritus ejus gratia agnoscunt, & pro fructu vicariae satisfactionis aeternique ejus sacrificii reputant, gemini hujus boni imaginem exhibuisse ipsas tunicas pelliceas quibus protoplasti amicti fuerunt. Patet id tanto clarius, quod magis nuditas, quae illis post lapsum statim, & molesta evasit, & pudorem incussit, clarissimum reatus per peccatum contracti & amissae imaginis Dei vividissimum argumentum erat, & rejectio foliorum ficulneorum, unde sibi protoplasti cincturas paraverant ad tegendam nuditatem, improbationis omnis studii erigendae propriae justitiae atque operum, clarissimum documentum continebat, conf. Jes. LIX. 6. & LXIV. 6. Accedit quod & Scriptura illa bona similibus phrasibus toties innuere solet, ut Jes. LXI. 10. *Gaudendo gaudeo in Domino & exsultat anima mea in Deo meo; nam ipse me induit vestibus salutis, pallio justitiae operuit me.* Eodem tendunt locutiones *induendi Christum.* Rom. XIII. 14. Gal. III. 27. *induendi novum hominem, qui innovatur ad cognitionem secundum imaginem ejus, qui illum condidit.* Col. III. 10. aut, *qui secundum Deum conditus est in justitia & sanctitate veritatis* Ephes. IV. 24. quae si vel ad ipsum sonum attendatur, necessario nos amictus hujus primi hominis, ad innovationem ejus post lapsum, ad cognitionem secundum imaginem ejus, a quo non diu ante conditus erat, admonere debent.

Haec igitur si vera sint, omniaque Scripturam teste sint fructus sacrificii Christi, quid convenientius non solum, sed & magis necessarium est, si quidem omnium debitam *συνάφειαν* servare velimus, quam ut supponatur, pelles in hunc usum a victimam, Christi sacrificium, ut causam horum bonorum meritoriam adumbrante, desumptas fuisse?

§. IV.

At dices sine dubio, B. L. quis igitur hoc sacrificium obtulit, & quomodo id facere edoctus est? Plerique quidem

B

dem

29
23
22
2
27
19
16
15
14
13

dem omnes, qui de mysterio tunicarum pellicearum, & de institutione sacrificiorum divinâ, rectè sentiunt, Adamum ipsum, & quidem ejus rei à Deo admonitum, id fecisse statuant, eumque idcirco ut Sacerdotem considerant, & illi eandem ob causam pelles has, ut dein sub lege Sacerdotibus, cessisse autumant. Verùm mihi id tamen non satis probabile videtur, partim quia nimis multa hinc iterum supponi debent, quorum nulla exstant vestigia, ut, quod Adamus Sacerdotem hinc egerit, & quod ejus admonitus, imò id distinctius edoctus fuerit, quod sine prolixiori institutione vix concipi potest, cum hætenus rem hanc planè ignoraret, partim quia nonnulla quoque ad totum hoc negotium minus quadrare videntur. Ratificandum erat foedus gratiæ Deum inter & hominem, gratiæque promissio sacrificio confirmanda. Hoc sanè non Adamo ut parti ignobiliori, sed Deo ipsi ut nobiliori, aut alicui ejus nomine, competebat. Parandum sacrificium, cujus præcipuus fructus esset, gratuita justificatio hominis peccatoris, seu justitiæ coram Deo valentis applicatio, per tunicarum ex pellicibus sacrificii hujus applicationem, quis hæc ab homine ipso & aliquo ejus facto expectanda fuisse crederet? At dices, cui igitur id tribuendum est, & quo pacto sacrificiorum institutio peracta? Liceat mihi conjecturam tuo B. L. arbitrio submittere, quæ, si quid video, non solum omnem probabilitatis gradum habet, sed & cui omnes *peccatores* favent, imò, quæ uti se suâ simplicitate commendat, ita absque ullis hiatibus per omnia narrationi Mosis optimè convenit. Repeto hunc in finem quod jam ad Can. 4. monui, antiquus Deum non semper disertis verbis, sed nonnunquam & facto ipso & exemplo certos ritus atque ceremonias instituisse. En clarissimum ejus rei specimen in ritu in foederum erectione usurpato, quo animalia disceiebantur & contractantes inter dissectas partes transibant, de quo jam Sect. I. §. XIII. Hujus sanè Deus ipse non tam verbis quam exemplo Auctor est, ut legimus Gen. XV. 9. 10. *Et dixit adfer mihi vaccam triennem & triennem capram & arietem triennem*

Et turturem atque pullum columbarum. Et adduxit hæc omnia. Et fudit illa in duas partes, & posuit partem è regione alterius. Sed aves non fudit. Non ignoro hæc vulgo ita accipi, ac si ea omnia ab Abrahamo facta essent. Verum ex mera proæresi id subsumi, potius autem hæc ipsum Dominum, qui se Abrahamo manifestaverat, peregrisse, narrationem Moſis attentè perlegenti ultrò patebit. Statim enim com. ſq. 11. ubi Abrahami factum narratur, diſertè is nomine ſuo indigitatur, & aves irruebant in cadavera, & Abrahamus illas abegit. Si autem is cujus factum modo com. 10. historicus ſacer memoraverat, quoque Abrahamus fuiſſet, quid opus fuiſſet eum hic denuò nomine ſuo inſignire? cum in continuato ſermone ſine dubio dicturus fuiſſet, & ipſe illas abegit. Confirmabit id ſimilis loquendi modus, aliàs in narratione historicâ, eidem Sacro Scriptori uſitatus. Attende quæſo B. L. ad ea quæ leguntur Gen. XIV. 19. 20. ubi cum narraſſet Melchifeſedecum benedixiſſe Abrahamo, dicentem: *Benedictus ſis Abram ſupremo Deo, qui cælum & terram poſſidet. Et benedictus ſit Deus ſupremus, qui concluſit hoſtes tuos in manu tuâ:* ſtatim uno halitu ſubjungit: *Et dedit ipſi decimas de omnibus.* Quis non, eodem modo uti hic vulgò fit rationes ſubducens, hæc ita acciperet, ut Melchifeſedecum Abrahamo decimas perſolviſſe, cum Eupolemo & nonnullis Judæorum credat? At Paulus nos contrarii convincit, dicens Heb. VII. 2. *Cui (Melchifeſedeco) & Abraamus decimam de omnibus dedit* coll. com. 4 Unde autem id habuit Paulus? Dices fortè ex immediato inſtinctu, novâque adeò revelatione: at hæc uti præter naturam eſt, & miracula meritò refertur, ita temerè & absque neceſſitate fingi non debet: neque eâ opus eſt, cum Paulus id ex conſuetis legibus hermeneuticis ſcire poterit, quia Moſes ſtatim commate ſequente pergat, & dixit rex Sodomæ Abramo: *da mihi animas (homines) ſed bona tibi ſume:* quo ipſo ſatis oſtendit ſe commate immediate præcedente non de Rege Sodomæ ſed Abrahamo locutum eſſe. Eodem igitur modo & hic ex diſertè nominato Abrahamo com. 11. colligo, com. 10. præced.

24

23

22

21

19

15

14

13

non de eodem, sed de Domino intelligendum esse. Adde quòd uti in totà narrationis hujus serie, quoties de Domino agitur, de eo tantùm, ut personà præcipuâ, atque adeò per se notâ, absque peculiari denominatione, in tertiâ personâ sermo instituitur, ita contra quoties Abraham disertè nominatur, (nisi fortè quando Abraham dicitur sermonem continuasse com. 3. eamque ob causam bis nominatur) id semper fit, quando antea Dominus sine peculiari appellatione locutus erat, ut Abrahamus ab eo distingatur. Sic com. 5. & 6. *Et jubebat ipsum exire & dicebat intueri cælum & numera stellas: & dicebat ipsi, ita erit semen tuum. ABRAM credidit Deo, & hoc imputatum ipsi in justitiam est.* Iterum commatibus statim seqq. 7. & 8. *Et dicebat ipsi Ego sum Dominus, qui te eduxi ex Ur Chaldeorum, ut tibi terram hanc possidendam darem. ABRAM autem dixit, Domine, Domine, ex quo cognoscam, quòd ipsam possidebo?* Accedit quòd Abrahamus scire non potuit, Dominum hæc animalia dissecari & partes sibi mutuo è regione collocari velle, nisi Dominus mentem hanc ante aperuisset, hujus autem non solum nullum indicium in totâ iterum narratione occurrit, atque adeò ingens ellipsis & hiatus in narratione absque sufficiente ratione poni debet, sed & nulla ratio dari potest, cur Mosès mandatum Domini de adducendis his animalibus cum ejus executione adferat, & dixit, *Adduc mibi vaccam triennem cet. & adduxit ipsi hæc omnia,* de altero autem, quod nempe circa hæc animalia agendum esset, quod utique in hoc negotio præcipuum erat, & Abrahamus, si de eo admonitus non fuisset, scire non poterat, ne *ye* quidem subjungat, sed hiulcâ planè oratione, tantùm Abrahamum id fecisse, cujus nulla antea mentio facta, refert. Omnia autem absque ullâ difficultate aut hiatu egregiè fluunt, si secundùm eandem narrationis seriem, quæ in toto capite observata est, verba, eo quo volumus modo, accipiantur. *Et (DOMINUS) dicebat ipsi, Adduc mibi vaccam triennem cet. (Et ABRAM) adduxit ipsi hæc omnia. Et (DOMINUS) fudit illa in duo, & collocavit partem*

partem è regione alterius. Et aves irruebant in cadavera. Et ABRAM illas abegit. Vides B. L. totam narrationem planissimam esse, nullam ellipsin rerum necessariarum statui, nihil supponi illi imperatum, quod sine speciali mandato scire non poterat. Atque ita, ut è diverticulo in viam redeamus, patet Dominum ipsum hæc peragentem, mortales ritum hunc edocuiffe, qui dein in fœderum erectione observatus est. Denique nec illud negligendum, quòd is, qui pelles has ad parandas inde vestes adhibuit, hâsque Protoplastis induit, sine dubio quoque iisdem animalia, unde defumtæ, exuit, atque aded illa neci dedit seu in victimas obrulit, hæc enim naturali nexu cohærent, inprimis ubi nemo alius memoratur, qui circa hæc animalia ullam functionem obierit. Prioribus autem illis muniis disertè ipse Dominus functus esse dicitur. Gen. III. 21. *Et fecit Jehova Deus ipse Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas & induit illos.* Ex quâ observatione simul occurri poterit difficultati, quam forsân quis in eo inveniet, quomodo Deus ipse in hac oblatione commodè actuosus fuiffè concipi queat. Scilicet eodem modo, quo, quod scriptura disertè factum testatur, tunicas ex pellibus paravit iisque protoplastos amicivit. Verùm quod sequitur, hoc in clariori luce ponet, simulque aliud dubium solvet, quomodo nempe, cùm Deus pars læsa & judex esset, Deus simul ut Pontifex sacrificium expiatorium offerre Deumque placare potuerit.

Scilicet progredior *secundò* adhuc paulò ulterius, eumque qui sacrificium hoc obrulit, non alium fuiffè cenfeo, quàm ipsum Dei filium, promissum mundi sospitorem, qui se in externâ visibili formâ jam tum Protoplastis manifestaverit.

Certè hunc jam in Paradiso & in hac primâ foederis gratiæ erectione se manifestasse, dudum perviderunt Viri Docti, præcipuè id pluribus argumentis evicit, Vir insignis ingenii & limatissimi judicii nostrique Lycei immortale decus CORNELIUS HASÆUS, utriusque eruditissi-

24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13

mi mihi que quondam amicissimi HASÆI, THEODORI atque JACOBI clarissimus Pater, in dissertatione de *Proteu-angelio*, quæ merito digna habita est, ut Thesauro Theol. Philol. infereretur. Licet enim illi in eo subscribere non audeamus, quod idem ipsum Proteuangelium proclamaverit, quoniam in illo ejus in tertiâ personâ sub nomine feminis mulieris, serpenti caput contrituri, fit mentio, ipseque disertè loquente, qui declarat se inimicitiam inter semen mulieris & semen serpentis positurum, distinguitur, solidè tamen ostendit eum in hac historiâ verè se præsentem exhibuisse. Atque huic propriè optimèque hunc actum oblationis primi sacrificii convenire patet. Cui enim quæso

1. Foederis gratiæ ratificatio mediante victimâ expiatoriâ propius competebat? quàm illi, qui *unicus Deum inter & hominem mediator* est. 1 Tim. II. 5. *Mediator novi fœderis etiam ad expiationem transgressionum sub priori testamento admittarum* Heb. IX. 15. & qui *sanguine fœderis sui aliquando educturus erat vincos ex foveâ in qua non erat aqua* Zach. IX. 11. imò *ANGELUS ILLE INTERPRES unus ex mille, qui jam in æterno pacis consilio dixerat: redime illum ne descendat in foveam, inveni lytrum* Job. XXXIII. 23. 24.

2. Accedit quod & ipse alias in similibus negotiis sese manifestarit. Huc maximè facit, quod modo ex Genes. XV. de oblatione sacrificiorum in solemnî fœderis cum Abrahamo ratificatione monui. Hunc enim non alium fuisse, quàm eundem Dei filium mundique sospitatorum, vel ex eo solo abundè patet, quod ipse se *Abrahami clypeum & mercedem valdè magnam*, vocat: nihil enim notius est, quàm emblema clypei, non solum in emphasi ipsi competere, sed & de eodem plus semel in sacris usurpari, v. Ps. VII. 11. Conferatur & extraordinaria sacrificiorum incensio ab ipso facta Jud. VI. 21. & XIII. 19.

Et cui quæso 3. magis conveniebat primum illud sacrificium expiatorium offerre, imò hunc typicum Deum placandi

candí modum instituere, quàm vero illi magnóque Pontifici, qui aliquando semet ipsum Spiritu æterno immolaturus Patri in sacrificium boni odoris, sicque æternam *λύτρωσιν* adducturus erat? Ephes. V. 2. & Heb. IX. 12. 14.

Inprimis quia 4. ipse non rectiùs in hac relatione ut causa salutis, & objectum fidei, spei atque fiduciae protoplastis eorúmque posteris innotescere potuit.

5. Uti modo vidimus, eundem qui ex pellibus hujus sacrificii protoplastis tunicas paravit, sacrificium hoc quoque obrulisse, ita illud servatori propriè convenisse, ex mysticâ harum tunicarum significatione, ipsâ scripturâ præeunte, ultrò patet. Sanè paratio & applicatio harum vestium, ipsam *adductionem* æternæ *justitiæ*, curámque *adplicationis* ejus involvit ut ex iis quæ §. III. jam monita sunt, patet. Hac in re autem præcipuè magni Mediatoris munus consistebat, qui, *expiatâ iniquitate* & *justitiâ æternâ adductâ* Dan. IX. 24. suis fieri debebat *justitia*, *sanctificatio* & *plena ἀπολύτρωσις* I Cor. I. 30. Atque hinc idem hic Angelus Jehovæ se disertè ut talem manifestabat Zachariæ, qui throno infidens Josuam Pontificem coram facie suâ stantem immun- dis vestibus, his exutum, *mundis indui* purámque eida- rim capiti ejus imponi curabat, additâ hac blandâ compella- tione, *Ecce abstuli abs te iniquitatem tuam!* Zach. III. 4. Idem hic peccatori consulit, ut à se *emat vestes albas*, ut *amiciatur*, nec *probrum nuditatis suæ conspiciatur*. Apoc. III. 18.

6. Quod si illa oblatio sacrificii tunicarúmque pellicea- rum præparatio, atque Protoplastis illarum facta applicatio, vix concipi potest, nisi is qui hæc fecit in visibili formâ corporeâ semet Protoplastis manifestaverit, cui id iterum competere potest? nisi illi, qui ut aliquando in carne appariturus, ut suæ *ἐνοσαρκώσεως* præluderet, toties in visibili humanâque formâ Patriarchis aliisque piis se conspiciendum præbuit, & inprimis in simili negotio, sine dubio etiam in ratificatione fœderis Abrahamici se ita patefecit in visione Gen. XV. 1. conf. XVIII. 1. & Jud. VI. 11. 21. & XIII. 3. 6. 8. 11. 18.

7. Unum

24

23

22

21

20

19

15

14

13

7. Unum adhuc habeo quod addam. Deducimus quidem nos cum maximè totum ferè salutis negotium ex proteuangelio, & rectè quidem, cum Scriptura S. ipsa nobis hac in re præeat, & creberrimis phrasibus atque allusionibus, nos eò quasi manu ducat. At difficile mihi semper arduumque mansit, quo pacto Adamus & primi ex ejus posteris, omnibus his præfidiis destituti, ex paucissimis illis verbis idem colligere potuerint, & imprimis certi esse, sacrificia ipsum delineasse, ut qui aliquando semet ipsum pro salute suorum inmolaturus, eoque ipso illis justitiam adducturus esset. Non juvat hic excipere, Adamum ante lapsum longè majori cognitionis gradu gavisum fuisse, quam nunc posteri ejus, quorum intellectus nativâ corruptionis labe obscuratus, nec concipi posse, quo pacto illâ cognitione, unico actu, ita privatus sit, ut cognitorum memoria uno momento deleteretur. Uti enim id ultrò largior, ita sanè id ulteriùs extendi nequit, quàm ad veritates naturà cognitatas, aut quæ ex illis deducuntur, non autem ad sublimiores illas & mysteria fidei, quæ necessariò propiori revelatione indigent. Quo pacto igitur quæso de illis erudiri potuissent? nisi ipse res gestæ, & omnes *περιστασις* iis in multis majorem lucem accendissent. Verte igitur rem in omnes formas, & perpende utrum concipere queas, quo modo Protoplasti ex paucis illis proteuangelii verbis, omnes illas, & cum illis insuper connexas veritates, intelligere potuerint? At contra admissâ hæc hypothesi, si promulgatâ in proteuangelio gratiâ divinâ, supponatur, ipsum filium Dei, se visibili modo præsentem stitisse, sacrificiûmque expiatorium, ad ratificandum fœdus gratiæ & sacrificium corporis sui depingendum, obtulisse, & ex ejus pellibus tunicas, justitiæ & sanctitatis emblemata gerentes parasse, omnia clara erunt, simulque constabit, quomodo & in posterum ejus exemplum secuti fideles, suam in oblatione sacrificiorum, in ipsum fidem, testari potuerint. Quòd, si quis existimet, forsan hunc summum Pontificem & primo huic sacrificio verba quædam ad clariorem intellectum addidisse,

diffe, neque in eo quicquam difficultatis erit, sed tantò facilius omnia hæc mysteria capere Protoplasti potuerunt. Neminem autem movere debet, quod de his omnibus historicus sacer sileat; uti enim ea adnotare opus non erat, cum nihilominus posteris per ea, quæ ad Can. I. observata sunt, de illis satis constare posset, & in tunicis pelliceis horum memoria quoque conservata esset, multa insuper alia, non exigui momenti, dicta factaque esse novimus, quæ ab eodem scriptore sacro quoque memorata non sunt, ut inprimis vaticinium Enochi, ab Apostolo Juda demum servatum, quò & institutionem ablutionum sacrarum seu baptismi referimus, quam non minus probabili ratione huic tempori eidemque historiæ vindicari mox videbimus. Quod si igitur hæc argumenta apud te B. L. aliquid ponderis habeant, quæque illis superstructa est conjectura calculum tuum mereri possit, gaudebo quòd tandem divinam originem sacrificiorum paulò certius, quàm hætenus factum, adstruere licebit.

§. V.

Ad sacrificiorum diversa genera quòd attinet, uti certissimum, & à nobis Sect. I. §. III. evictum est, ante diluvium omnia holocausta, seu tota Deo immolata, fuisse, cum carneo tempore vesci, illicitum fuerit, ita quoque probabile esse ostendimus ib. §. IV. jam ante legem offerentes nonnunquam aliquam partem inde accepisse, hancque in cibum & inprimis ad solemniora convivia adhibuisse. Hujus autem ritus primam originem non tam commode adsignare possumus. Quòd si propiorem revelationem absque omni fundamento statuere non liceat, præcipuè cum etiam illa minus necessaria sit, non improbabili conjecturæ locus concedi posset. Scilicet quòd, cum homines jam ritum illum de immolatione victimarum ut ty-
porum Christi in fide, & ratione Numen sibi hoc pacto propitium reddendi, edocti essent, & post diluvium quoque
ia-

24

23

22

21

19

15

14

13

insuper libertatem animalia in cibum mactandi atque adhibendi acceperunt, pii etiam hac libertate, præcipuè in extraordinariis solemnitatibus in fide uti volentes, & suas epulas hac ratione sanctificare studentes, Deo istius modi animalia prius immolare voluerint, antequam earum carnem in usus suos converterent, sicque pedetentim mos, ex quibusdam sacrificiis (quæ non in holocausta, tota destinata essent) partes aliquas aut fortè pleramque etiam carnem, postquam ipsum animal Deo immolatum esset, in cibum adhibendi, ortus sit. Saltem in eo nihil est, quod non præsuppositis illis conditionibus, ipsa ratio & pietatis studium, ultrò, ut conveniens, Deoque gratum, facillè colligere posset, quemadmodum & sine dubio Deus dein quoque tales meditationes in populo Israëlítico conservare voluit, cum & in privatis animalibus domi in cibum mactatis semper sanguinem, ut ad se, & altare suum pertinentem (licet eò planè non adduceretur) effundi & terræ obtegi voluit.

§. VI.

Ex iis quæ de sacrificiorum origine docuimus, ultrò deduci potuit, quinam sacerdotio in posterum fungi deberent. Scilicet cum non expectandum, ut semper filius Dei ad hoc opus in visibili formâ appareret, non magis, quam ut semper in posterum singulis hominibus tunicas pelliceas pararet, verum posterius hoc, singulis, in fide Christi justitiam sibi applicando, faciendum, seu ut Paulus ait Christus induendus Rom. XIII. 14. & Gal. III. 27. ita & prius imitando, in fide Christum ut veram victimam respicere, sicque sacrificium in hac fide offerre atque hac ratione ipsi sacerdotes agere debuerunt, quod & ab Abele diferte factum legimus. Heb. XI. 4. Interim si pro totâ familiâ solemne sacrum faciendum esset, ratio & convenientia ultrò docebat, neminem ad hanc *ἑπιεργασίᾳ* potius jus habere, quam illum, qui, dignitate atque auctoritate, in eâ primus erat, unde & illud statim à Noacho Gen. IX. & dein à Jobo cap.

cap. I. com. 5. factum legimus. Eo autem defuncto aut absente aliave re impedito, ultrò patet id ejus fuisse, qui ipsi in dignitate proximus esset, uti infra in jure primogenituræ videbimus.

§. VII.

Ad aras locaque altiora, in quibus jam antiquissimis temporibus sacrificia oblata esse Diss. I. p. 14. vidimus, quod spectat, uti jam aliquid in primâ institutione sacrificiorum in Paradiso locum habere potuit, quod huic rei ansam daret, ita tamen id pro certo affirmare non licet. Neque etiam eo opus erat, cum ipsa rei convenientia id satis docere posset. Cum enim homines satis commodè omnia quæ in immolatione victimarum peragenda, proni & in terram usque incurvati peragere non possent, ultrò in eas facilè cogitationes devenire potuerunt, ut sive terram aggregatam, sive unum majorem, aut plures sibi murò impositos lapides, substernerent, quibus & ignis instrui & ipsa dein victima commodè superimponi posset. Accedit quòd cum victima illi, qui se in coelo gloriosissimè manifestabat, offerenda esset, hoc pacto tantò commodiùs, cor cum manibus eò attollere possent, quò disertè, in more in precibus usitato, alluditur. Thren. III. 21.

Eadem cogitationes videntur quoque mox hominibus ansam præbuisse, ut, quò cælo unà cum oblatione tantò quasi propinquiores evaderent, montes maximè & loca celsa ad sacrificia offerenda eligerent. Saltem licet nihil disertè de hoc more ante Legem observari solito legatur, cum Noachum quidem id fecisse probabile sit, sed fortè quia arcà in monte Ararat, ubi illa quieverat, egressus, hoc pietatis officium sine morà præstare volebat, & Abrahamus id disertè à Deo jussus, in monte Moriah faceret Gen. XXII. 2. vix tamen eà de re dubitare nos sinit, quòd Deus erecto tabernaculo id fieri toties vetuit. Unde & Judæi in Seva-

C 3

chim

shim XIV. 4. dicunt: ער שלחן הוקם המשכן היו
 כַּמְדִּיּוּ תַבְּרַנְאֻלִּים מוֹתָרִים מוֹתָרִים *quamdiu tabernaculum erectum non
 erat, celsa fuerunt licita, & paulò post: משוֹקֵם הַמִּשְׁכָּן
 נִסְרוּ הַכְּמוֹת ex quo erectum est tabernaculum, excelsa fue-
 runt vetita.*

In lucis quoque & nemoribus maturè homines altaria
 erexisse ex historiâ Patriarchali manifestum est, v. Gen.
 XII. 18. Quod uti apud gentes dein passim obtinuit, ita hæc
 imprimis hoc medio ad terrorem hominibus, nemorum um-
 brâ, in cultu sacro incutiendum, usæ sunt: quoniam ut
 canit LUCAN. III. 243

Arboribus suis horror inest.

unde & CICERO, I. de divin. 114 ait. *Commovent multos nemo-
 ra & sylva.* Verùm uti tales artes gentium superstitionis
 conveniebant, ita absit ut tam abjectè, de ingenuo Patriar-
 charum in Deum timore, rationalique cultu, sentiamus.
 Quin apud illos potiùs hic mos ex innocuâ occasione natus
 videtur: cum nempe Patriarchæ in tentoriis habitantes
 Heb. XI. 9. sine dubio ob nimium solis æstum in quercetis
 & sub aliarum densiorum arborum frondibus, illa erexe-
 runt, atque hinc ibidem quoque altaria ad rem sacram fa-
 ciendam struxerunt, quæ sine dubio vera primâque luo-
 rum in sacris origo fuit, sed quibus dein gentes ita sunt
 abusæ, ut Deus illos idcirco sub Lege severè prohiberet, ut
 Sect. III. videbimus.

§. VIII.

Hæc locus foret in originem ædium sacrarum aut tem-
 plorum inquirere, siquidem ullâ probabilitate iis locus ali-
 quis, ante ætatem Moïsis, assignari posset. Verùm in po-
 pulo Dei certè ne minimum quidem ejus rei vestigium repe-
 ritur, quod tam manifestum est, ut ipse SPENCERUS
 id ultrò agnoscat Lib. III. Differt. VI. Cap. I. Sect. VI. scri-
 bens: *Quamvis autem multi Reges & Patriarchæ, ante Le-
 gentis*

gem scriptam etque etiam post illam, Deo vero cultum exhibuerint, nemo tamen illorum templum erexisse legitur. Sancti illi Viri partim in ædibus suis privatis (tanquam tot pietatis officinis) partim in locis quibusdam, Dei apparitione vel beneficio aliquo accepto celebribus, sacrificia obtulerunt, & reliqua cultus divini munia obierunt. Nec obstat quòd eruditiss. DICKINSON. in *Phys. Vet. & Nov.* cap. XIX. num. XXIV. verisimile non solùm videtur, quòd *Jacobus* in terrâ Gosen Tabernaculum aut Templum fabricari curaverit, in quo Dei nomen publicè atque solemniter invocaret, sed & *Israëlitæ* dein primarium quoddam & splendidius templum condiderint, quod Deus se inhabitasse ante adscensum filiorum *Israël* ex *Ægypto* significet, dicens 2 Sam. VII. 6. *Non enim habitavi in domo, inde à die, quo ascendere feci filios Israël ex Ægypto, usque in hunc diem.* Uti enim prius absque omni fundamento asseritur, ita ex posteriori loco non majori jure elicitor Deum ante hunc adscensum ex *Ægypto* domum inhabitasse, quàm si ex eo, quòd 1 Sam. XXIX. 3. 6. 8. dicitur à die, quo *David* ad *Achis* regem *Gath* venisset, nullam in eo in regem hunc perfidiam inventam fuisse, inferre velis, eum antequam in ejus aulam appelleret, hujus criminis reum deprehensum fuisse. Quin potius locus ille nihil aliud dicit, quàm Deum toto illo tempore, inde ab educatione populi ex *Ægypto*, non nisi in tentorio seu æde portatili se manifestasse, neque adeò infinitam ejus majestatem, nunc magis augustiori firmiorque æde, quam rum temporis indigere. Imò uti nec templorum inter alias gentes, imprimis *Ægyptias* & *Cananæas* ante ætatem *Mosis* ullum in Sacris vestigium occurrit, ita & quæ de illis extra scripturam narrantur, non usque adeò certâ atque exploratâ sunt. Templum fane *Beli* à *SPENCERO* & aliis minus rectè huc refertur, cum turris quidem *Babylonica* antiquissimi sit operis, templum autem demum à *Nebucadnezare* additum testetur *BEROSUS* apud *JOSEPHUM* Ant. LX. 11. Et quæ de antiquissimis *Ægypti* tem-

24

23

22

2

27

19

15

14

13



templis eorúmque auctoribus narrat DIODOR. SIC. Lib. I. p. 18. 19. præstantissimæ edit. Cel. Wesseling. incertis rumoribus & narrationibus nituntur. Quicquid sit, saltem id tuò adfirmari posse videtur, quamdiu homines ad insita Deitatis principia attenderunt, cum Veteribus Persis, Seribus, Scythis ipsisque inprimis Germanis nostris, indignum atque absoum iudicasse infinitam majestatem parietibus cohibere velle, v. Herod. Lib. I. 131. TACIT. *de moribus Germ.* cap. IX. & conf. HOSPIN. *de templ.* Lib. I. c. 1. & ADAM. *obs.* ad Act. XVII. 27. Unde rectè colligimus primam adedè templorum inventionem minimè ortum suum, ut SPENCERUS existimat, ex crassa gentium opinione traxisse, quòd Numen crederent honorem aut quietem aut tegumentum ad cæli injuriam propulsandam desiderare, aut Divinitatem septis aut parietibus includi posse existimarent. Nimis enim recens est ARNOBIUS, ad quem provocat, quàm ut illi in tam canæ antiquitatis rebus fides adhiberi queat; inprimis cum ne id quidem seriò adfirmet, sed eo ipse potius gentium superstitionem derideat, & quem adfert. Euripidis locus ex fragm. Inc. Trag. v. 219.

Ποῖος δ' ἂν εἶκος τεκτόνων πλαθεῖς ὑπὸ
 Δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τόχων πυχᾶις;
 Qui posset ædes structa fabrili manu,
 Tenere vim parietibus inclusam Dei?

clare arguit prudentiores gentium id minimè censuisse. Quare existimarem potiùs, si gentes non à Judæis templorum usum primùm didicerint, illum ex innocuis περιδόσεις, natum esse, dum vel primùm plures homines commodiùs in æde quadam solemnes conventus agere & adversus cæli injurias, præsertim in locis, quæ illis magis exposita, & inclementiore anni tempore tuti esse quærebant, vel etiam à rebus ad cultum adhibitis, ventos & pluviarum impetuositatem

arcere volebant. Quemadmodum ex hoc fundamento apud Veteres Persas ad ignem, quem non quidem divino cultu prosequerentur, sed sacrum habebant & perpetuo alebant, inextinctum servandum Pyræa primùm exstructa esse docet eruditissimus HYDE de *Relig. Vett. Persar* cap. XXIX. Quamvis dein accedere potuerit, ut ortâ iconolatriâ & statuas atque effigies deorum suorum illætas sub tectis conservarent, aut earum quoque plures in unam domum conjungerent, & simul hac ratione numina sua, quæ signis illis propè adesse credebant, sibi commodius præsentia sisterent, atque in precibus convenirent. Saltem cùm indubiò constet, sententiam illam, de infinitâ Numinis majestate angustis parietibus non includendâ, pluribus successivè seculis apud plerasque gentes viguisse, probabilius longè est, templorum usum, etiam apud alias gentes vel Mose posteriore vel saltem non multò antiquiore, & siquidem posterius verum sit, ex istiusmodi rationibus, quales attulimus, natum esse. Prætereo hic de industriâ חמני Lev. XXVI. 30. quam vocem *Erudit. SPENCERUS*, cum nonnullis aliis, de *templis cultui Solis destinatis* explicat, atque hinc & ex hoc loco templorum antiquitatem probare satagit, quoniam de voce ipsâ planè nondum constat, & *templi* saltem significationem, ad eam non quadrare, pluribus evicit *Cel. VITRINGA* in *Comment. in Jes.* cap. XVII. 8.

§. IX.

Atque hæc sunt, quæ de sacrificiorum origine, offerendi ratione, loco, cet. monenda erant, de *fertis & libaminibus* iis sub Lege Mosis jungi solitis, res longè obscurior est. Vidimus jam Sect. I. §. VI. ante Legem Mosis oblationis ex frugibus, seu *ferti* exemplum non exstare, præter illud Cainis Gen. IV. 4. Addimus nunc non solum, quod nullius institutionis istiusmodi oblationis vola aut vestigium in sacris, sed & nullus ex lineâ Patriarchali aut ex Cai-

Cainis etiam posteris ejus exemplum imitatus esse legitur. Accedit quod & eo modo, ut dein ferra sub lege instituta sunt, non adeò commodè ante eam locum habere potuerunt. Erant illa sub Lege vel *הכנים עם הזבח* *venientia cum sacrificio*, i. e. appendices sacrificiorum, vel *הכנים בפני עצמן* *venientia per se*, i. e. sola absque sacrificiis adducta. Cum prioribus nil commune habebat oblatio Cainis, quoniam absque sacrificio erat, nec ad posteriora quadrat. Licèt enim fortè quis cogitare queat, ex rationis principiis homines impelli potuisse, ut eorum immolatione Deo gratum pro frugibus sibi concessis animum testarentur, aut etiam partem aliquam pauperibus darent, tamen de priori, utrum Deus ita coli vellet, non constabat, & quod ad posterius attinet, saltem Cainis tempore nulla eam in rem adhuc occasio suppetebat. Præterea sub Lege etiam alius planè eorum usus erat, nam vel inserviebant *inaugurationi Pont. M. & Sacerdotum*, atque tum tota comburenda, vel loco sacrificii à pauperibus offerebantur, vel pro toto coetu, vel in peculiaribus casibus, atque tum aut integra, aut oblato prius in altari pugillo, quod ex illis tum reliquum manserat, Sacerdotibus dari & ab eorum familiis solis comedi debebat. v. *Antiqq. nostras hebraic. P. I. cap. XIV.* quorum omnium nihil ad hanc oblationem Cainis quadrat. Apostolus autem insuper disertè discrimen oblationis ejus & Abelis, in eo collocat quod hinc *in fide melius sacrificium præ Caine obtulerit* Heb. XI. 4. Uti igitur fides, ut §. III. visum, etiam latissimo sensu saltem innuit rationibus nixam certamque persuasionem, quòd id, quod quis agit, Deo gratum sit, id autem necessariò in rebus quas ratio non docet, propiorem voluntatis divinæ manifestationem præsupponit, ita primùm hinc colligo, Cainis oblationem non instituti divini, sed potius *ἑθελοθρησκείαν* fuisse. Deinde, uti fidem imprimis in actibus placando Numini destinatis, pro objecto habere Christum, & in eum quoque Abelem fidei oculos direxisse, sicque justitiam fidei consecutam fuisse, supra

pra monuimus §. II. num. 3. ita porrò hinc patere existimò
 Cainem & hanc veritatem de unico sacrificio Christi non
 agnovisse, nec eò ad gratiam coram Deo inveniendam con-
 fugere voluisse, eamque ob causam nec cruentum sacrificium
 obtulisse, sed potius nudà illà externà oblatione & dono
 Deo dato, ejus favorem mereri, ipsique placere voluisse.
 Atque in tantum non penitus à scopo abluerent, licèt veram
 rei rationem non assecuti, HEBRÆORUM quidam, qui
 cum JOSEPHO existimant, Cainis munus minus placuisse
 quàm Abelis, quoniam non holocaustum, sed ex frugibus
 agri fuerit, non quidem (uti in eorum sententiâ rectè re-
 prehendit S. Vener. DEYLINGIUS P. II. Obs. IV.) quia
 victima in se Deo gravior esset, sed quia illa frugum obla-
 tio, ut à Deo non præscripta ἐθελοθρησκεία, tacitâque unci
 sacrificii Christi quædam abnegatio, & confidentia in exter-
 no illo opere erat. Quòd si sufficiens JOSEPHI, in re
 tantæ antiquitatis, testimonium esset, ex eo aliquid robo-
 ris huic nostræ sententiæ accedere posset, dum ex ejus ver-
 bis id ipse Cain agnovisse, & oblato mox sacrificio Dei gra-
 tiam implorasse videretur. Ita enim testatur: τῆς μὲν οὖν ἐπὶ
 τῷ φόνῳ τιμαρίας αὐτὸν ἠφίει, θυσίαν τε ἐπιτελέσαντα, καὶ δι
 αὐτῆς ἰκετεύσαντα μὴ λαβεῖν ὀργὴν ἐπ' αὐτῷ χαλεπώτεραν. *Sup-
 plicium autem pro cæde ipsi remisit (Deus) postquam sa-
 crificium illi obtulit, & per id flagitavit, ne vehementius
 sibi irasceretur.* Verùm uti hoc testimonium suo loco re-
 linquimus, ita nobis sufficit observasse, propriè dicti ferti,
 Deo instar sacrificii oblato, nullum nos vestigium ante le-
 gem Mosaicam deprehendere. Atque hinc etiam movere
 nos nequit, quod OVIDIUS id genus oblationum pro an-
 tiquissimo & ante cruenta sacrificia usitato habeat *Fast. L
 v. 337.*

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,

Fav erat & puri lucida mica salis.

& paulò post:

D

Hic,

29

23

22

2

27

17

15

14

13

*Hæc, quæ nunc aperit percussæ viscera tauri,
In sacris nullum culter habebat opus.*

& quæ alii de *Draconis & Triptolemi* legibus, ut & *Pythagoræ* præceptis adferunt, v. SAUBERT. *de Sacrif.* Cap. XXIV. Hæc enim omnia Mosis ævo multò sunt posteriora, unde gentes fertorum oblationem ex ipsâ forsân Lege Mosaicâ, aut Judæorum institutis didicerunt.

De LIBAMINIBUS quoque, sive seorsim, sive unâ cum sacrificiis Deo oblatis, nihil constat, sed Jacobi libamen potius ut Sect. I. §. VI. monuimus solemni consecrationi inserviisse videtur, unde infra §. XII. inter ritus consecratorios de eo propiùs agemus.

§. X.

VOTORUM, ad favorem Numinis in rebus arduis conciliandum, nuncupatio atque deia facta solutio, cujus primum exemplum in Jacobo occurrit Gen. XXVIII. 20. coll. XXXV. i. seqq. nullâ peculiari institutione divinâ aut exemplo indiguit. Certè uti ex ipso religionis principiis homo scire poterat, Deo sincerum sui, ut Dei peccatoris, cultum, non posse non acceptum esse, ita ultrò quoque inde colligere poterat, singularem & solemnem ad id devotionem atque consecrationem, impetratis inprimis singularibus beneficiis, eidem non posse displicere. Præcipuè cum ipsa ratio abundè doceat, quod licèt homo, eo quod debet, nihil mereri queat, Deus tamen futurus sit remunerator quærentibus se, ipseque toties peculiaribus promissionibus ad cultum suum & pietatis officia excitare voluerit, Gen. XV. i. Nec obstat quod quædam addat Jacobus, quæ non adeò ratio per se docere videri queat, ut *quòd lapis ille futurus sit domus Dei, & omnium, quæ Deus sibi concesserit, deimias ipsi iterum daturus sit.* Ad prius enim quod attinet, quemadmodum id nihil aliud innuit quàm lapidem illum, quamdiu Jacobus cum familiâ in viciniâ degeret, locum cultûs publici futurum, ubi cum suis, solemnioribus temp-

porè

poribus atque occasionibus conveniret, quin & apud quem sacrificia sua offerret, ita, ubi Deus nihil de tempore, loco, & aliis *νεπιστάτοι* cultus externi determinaverat, sed ea ecclesiae libertati reliquerat, ex ipsa rei convenientia talem in primis locum determinare potuit, quem Deus ipse singulari apparitione nobilitaverat, & ubi tam insignes quoque promissiones ad totam ejus progeniem spectantes dederat. conf. Can. 5. Ad alterum quod spectat, cum & naturalis aequitas flagitet, ut Deum quoque concessis opibus honorare quaeramus, & vel immediatè earum partem quandam, in agnitionem supremi ejus Dominii, ipsius cultui impendamus, & ejus quoque cultus, ut in primis in sacrificiis, tale quid requirere queat, vel etiam per impensas sustentandis pauperibus, aut sumtus peregrinatorum & hospitem commodis promovendis destinatis vid. Job. XXXI. 32. coll. Gen. XVIII. 1. & Heb. XIII. 2. amor proximi & in eo ipsius Dei exerceri atque demonstrari queat, rectè ex iisdem naturalibus principiis certa bonorum summa pro lubitu & rerum convenientia non solum destinari, sed & solemniter, ut tantò magis quis se & suos ad id obstringeret, devoveri potuit. v. Can. 6.

§. XI.

Nascitur autem hinc quaestio cur *Jacobus* sigillatim DECIMAS VOVERIT. Ubi generatim quidem rectè observatur, solutionem decimarum, sive Deo ipsi, sive ejus ministris faciendam, jam tum temporis in usu fuisse, quemadmodum & *Jacobi* avus *Abrahamus Melchisedeco* ut *Sacerdoti Dei altissimi decimam partem praedae persolvit* Gen. XIV. 20. coll. Heb. VII. 2, 4. Et ipse *Abrahamus* hanc decimarum solutionem, non ut novum & inusitatum haecenus munus, considerari vult, nec *Melchisedecus* illi tanquam rei insolitae vel verbulo obloquitur, licet ceteroquin *Abrahamo* potius aliquid obtrudere, quam ab eo accipere voluerit. Verum uti talis mos utique *Jacobo* ansam dare potuit, ita

D 2

fem-

29

23

22

2

27

17

15

14

13

femper eadem recurrit quæstio, unde is antea initium cepit. Ubi, missis aliorum conjecturis, & longius petitis de numeri hujus perfectione, sanctitate, & sic porro, cogitationibus, de quibus præter JOH. JAC. SCHMID in *Mathem. Bibl.* pag. 30. inprimis consuli potest eruditiss. SPENCER. Lib. III. Cap. X. Dissert. I. & quos laudat, *Bungus*, *Meursius*, *Wallisius* aliique, maximè conveniens viderur, quòd hic numerus, in quo simplices desinunt, & à quo compositi incipiunt, inter minores & majores medius, æquissimus reique huic convenientissimus à Veteribus habitus sit, dum nec nimis se avarum præbeat, nec nimium quoque perdat, qui ex iis, quæ Dei benignitas ipsi indulsit, retentis integris novem partibus, variis usibus, quos Dei cultus amorque & commodum proximi flagitat, decimam partem impendat. Non *ἀδύνατον* quoque est, quod S. R. Episc. PATRICK ad Gen. XXVIII. maximè probabile viderur, potuisse etiam Patriarchas peculiari gubernatione Dei gavisos esse, sive jam ea in occulto instinctu constiterit, sive etiam in certis occasionibus quas ejus providentia occurrere fecit. At nihil tamen eà de re certi constat (conf. Can. 4.) Interim probavit se hic mos ævi Patriarchalis, suâ sine dubio æquitate ita omnibus passim gentibus, ut ferè omnes eundem non solum imitarentur, ut pluribus luculentur laudatus SPENCERUS docet, sed & in votis nonnunquam eundem sequerentur. Narrat id de CAMILLO LIVIUS Lib. V. Cap. XXI. quòd ad capiendam Vejentum urbem egressus, & edicens ut arma milites caperent, exclamaverit: *Tuo dicto, Pythæce Apollo, tuoque munine instinctus pergo ad delendam urbem Veos: TIBIQUE HINC DECIMAM PARTEM PRÆDE VOVEO.* Conf. VALER. MAX. Lib. V. Cap. VI. & PLUT. in CAMILLO.

PRIMOGENITORUM ex animalibus consecratio, uti posterioris ævi est, Exod. XIII. 2. ita neque horum etiam ad sacrificia eligendorum ullum mandatum existat, hæc tamen ad id præcipuè sumpta esse, ex Abelis exemplo rectè colligitur, utpote

utpotè qui מַכְבוֹרוֹת צֵאָנוּ *de primogenitis gregis sui* obtulit.
 Gen. IV. 4. Neque sanè diferto hic præcepto opus erat.
 Qui enim nôrat offerendum esse sacrificium, & huic exer-
 citio fidei, pio animo se accingebat, ultrò sanè cogitare de-
 buit, æquum esse, ut Deo optimum quodque offerret.
 Primogenita autem apud omnes populos pro optimo
 vulgo habebantur, quin & eam ob causam id quod præci-
 puum & præstantissimum in re aliquâ est, eodem nomine
 insigniri solet. Vid. S. Rev. PATRICK ad h. l. Neque impro-
 babile est alios laudabile hoc exemplum esse imitatos. Ac-
 cedit, quòd & eo ipso simul cum Abele ardorem suum in
 exercitiis pietatis, primo gregis sibi concessò proventu te-
 stari, & simul hoc actu reliquum gregem sanctificare po-
 tuerint. Quod licèt successu temporis clarius & distinctiùs
 cognosceretur, tamen primæ harum veritatum lineæ sine
 dubio ex piâ meditatione, jam ab initio cognosci potue-
 runt. De fertis autem, an primitiis constiterint, anxie in-
 quirendum non erit, cum viderimus nullius oblatis ante Le-
 gem ferti præter illud Cainis, memoriam exstare. Illud
 autem saltem primitiis non constituisse, rectè ex silentio scri-
 pturæ Sacræ, ut Sect. I. §. IX. vidimus, ABENESRA col-
 ligit, quia nulla ratio est, cur cùm id de sacrificio Abelis
 difertè dicatur, in Cainis dono eâ de re planè fileat. Atque
 hoc nonnulli causam fuisse existimant, cur hoc Cainis do-
 num Deo minus quàm illud Abelis sacrificium placuerit.
 Ita PHILO de *Sacrif. Abel. & Cain.* p. 137. cùm unam ra-
 tionem attulisset, quòd non statim donum suum adduxif-
 set, subjungit: ἕτερον δὲ, τὸ ἀπὸ τῶν καρπῶν, ἀλλὰ μὴ ἀπὸ τῶν
 πρώτων καρπῶν, ὧν σύνθετον ὄνομα πρωτογενήματα, *alterum
 autem, quòd de fructibus attulit non de primis fructibus,
 quos proprio nomine primium nata (primitias) appella-
 mus.* Verùm uti graviores ejus rei rationes §. VIII. attuli-
 mus, ita in tantum id subjungì posset, quoniam simul ani-
 mum in Deum minus reverentem prodebat, quod ad hoc
 donum deteriora aut nimis præstantia sufficere crederet, si-
 bi suisque mèliora reservans, quæ mens fuit PALLA

29

23

22

2 27

17

15

14

13

*dii in vitâ Chrysoſtomi apud S. R. PATRICK ad h. i. ſcri-
bentis τῶν ἀρχῶν ἀπέγευστο πρῶτος, τῇ ἰαυτῷ Δαμα-
γίας τὰ πρῶτα Φυλάξας. Primus deguſtavit primitias, prima
(præcipua) ſuo ventri reſervans.*

§. XII.

Progedimur ad *luſtrationes* & inter has primo loco ad *ablutionem* aquâ factam, tam *corporis* quàm *veſtimentorum*, ſive quâ præparatio fiebat ad ſolemnam in foedus Dei receptionem, ſive ad immundorum & inquinatum munda- tionem. Cùm igitur hujus, dudum ante legem Moſis uſitæ, certiffima veſtigia occurrant, imprimis in exemplo Jacobi Gen. XXXV. 2. & in alluſionibus in libro Job. IX. 10. & quidem in his omnibus, hujus non ut rei novæ & antea incognitæ mentio occurrat, unde, ut Sect. I. §. X. vidimus, rectè Viri S. Rever. PATRICK & POLUS aſſe- runt, *Se non dubitare, quin hæres, ſacræ conſuetudines fuerint, à piis eorum majoribus, inde ab initio ex quo Deo ſacrificia oblata ſunt, obſervatæ: meritò quæritur, quænam hujus conſuetudinis origo ſit? Ratio fanè hac de re nihil docere potuit, neque ipſa cultûs rationalis indoles talia ſubmini- ſtrat, utpote ex qua minimè colligere datur, hominem corpus aut veſtes ablutum Deo gratiorem eſſe alio, mul- tò minus, externâ hac ablutione, mentis crimina atque im- munditiem ablui poſſe. Licèt enim qui religionem in exter- nis ſtatuebant, id ſibi ſtultâ ſuperſtitione perſuaderent, pru- dentiores tamen inter ipſas gentes hos ridebant. Unde cùm OVID. *Faſt.* Lib. II. v. 35. ſeqq. dixiſſet:*

Omne nefas omnemque mali purgamina cauſſam

Credabant noſtri tollere poſſe ſenes.

Grecia principium moris fuit, illa nocentes

Impia luſtratos pouere facta putat.

mox

mox subjungit v. 45.

Ab nimium faciles qui tristia crimina cadis

Flumineâ tolli posse putetis aquâ!

Neque id etiam ex ingenio confictum esse potuit, quia nil nisi mera ἐθελοθρησκεία fuisset. Nil igitur superest, quam ut hunc quoque ritum Deum ipsum auctorem habuisse statuamus (v. ad Can. 3.) idque vel ira, ut Patriarchæ peculiari instinctu divino illum susceperint, vel à Deo ipso eum disertis verbis aut exemplo edocti fuerint (Can. 4.) Prius absque omni fundamento asseritur (conf. ad Can. 4. dicta) imprimis cum nec satis concipi queat, quomodo solo instinctu, de tali externâ ablutione corporis aut vestium, quæ internæ & spiritualis imaginem gerat erudiri potuerint, adde, quod & alias de similibus ritibus homines à Deo admoniti fuerint, ut in solemnî præparatione populi Israëliti, ad foedus cum Deo in eundem Exod. XIX. 10. 11. *Et dixit Dominus Mosi. Vade ad populum & sanctifica illum hodiè & cras, & abluant vestimenta sua. Et parati sint in diem tertium*, coll. com. 14. atque iterum in solemnî receptione gentium in foedus Novi Testamenti Matth. XXVIII. 19. Nihil igitur reliquum manet, quam ut simile quid antiquissimo Patriarcharum ævo quoque factum statuamus. Hujus autem rei nemo ullibi volam aut vestigium inveniet, nisi in ipsâ historiâ Adami, & primâ cum ipso fœderis erectione, ubi id opportunè ostendit ingeniosissimus nostri Seculi Philologus JAC. RHENFERDUS in *Orat. de Antiq. Baptismi*. Scilicet observat is cum solemnî vestium mutatione, ut &, quod idem erat, earum ablutione (cum fortè non semper diversæ ad manus essent) conjunctam quondam semper fuisse totius corporis ablutionem. Res manifestissima est. In inauguratione Aharonis & Sacerdotum utraque ex diserto Dei mandato obtinuit Exod. XXIX. 4. 5. & XL. 12. seqq. In ministerio diei expiationis quinquies cum vestium aurearum & linearum per-

muta-

mutatione, Pontifex Max. totum corpus abluere debebat Lev. XVI. 4. sqq. conf. præter R. S. J. ad h. l. quæ ex aliorum Judæorum scriptis attulit SHERINGHAM. ad *Foma* cap. III. m. 3. Ita & in mundatione immundorum, ut *leproforum* Lev. XIV. 8. 9. *pollutorum ex mortuis*. Num. XIX. 19. & innumerorum aliorum, Lev. XV. 8. 10. 11. 13. 16. 21. 22. 27. (Imò hoc adeò usitatum erat, ut etiam aliàs in vulgari usu antequam splendidiore vestes induerent, totius corporis ablutionem præmittere solerent. Sic David, perceptà morte filioli, luctum positurus, corpus prius abluit, oleo semet unxit & vestes mutavit. 2 Sam. XII. 20. conf. & exemplum Ruthæ c. III. 3.) Atque hinc apud Judæos receptus Canon est ככל מקום שנאמר כיבוס בגוין אינו אלה טבילתו כל הגוף *Ubi* *Ubique in sacris de lotione vestium sermo est, simul ablutio totius corporis innuitur*, MAIM. in *bilch. Mikvaot* cap. I. m. 2. Neque hunc Canonem fundamento carere patet, ex Num. XXXI. v. 24. ubi Eleasar reversis ex bello ob occisos hostes, aut contactum occisorum (conf. com. 19.) imperat *ut septimo die vestes abluant, sicque mundati in castra revertantur*: jam autem ex cap. XIX. 19. constat, ablutionem vestium minimè suffecisse, sed unà cum illis integrum corpus abluendum fuisse. Quid igitur magis probabile est, quàm cum similitum similis sit ratio (conf. ad Can. 2. monita) & Patriarcharum ævo similem morem obtinuisse Jacobi exemplo constet, nec is de hac re ut hactenus ignotà loquatur, & vestes quibus Dominus illas Protoplastorum commutavit, idem cum vestibus novis in sacris assumtis aut ablutis denotaverint, etiam antequam eos his amiciverit, corpus abluir curasse?

Addit idem Vir doctus non absque ratione, quòd, cum clementissimus Deus aliàs semper ita cum populo suo egerit, ut per prædicationem Evangelii fidem in animis electorum operatus sit & per usum Sacramentorum confirmaverit, dubitari non possit, quin & Adami fidem in proteuangelium symbolis quibusdam & tesseriis confirmaverit.

Verit. Inprimis verò eleganter confert verba Pauli Gal.
 III. 27. Ὅσοι γὰρ εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσαθε
Quotquot enim in Christum baptizati estis Christum induistis.
 Ubi sibi probabilem aliquam rationem reddi desiderat, cur
Apostolus baptismum in nomen Christi, cum Christo indutore
ut induendo conjungat, si non antiquissimum fœderis gratiæ
pangendi ritum baptismi respiciat, cum lotionem vel mutatio-
ne vestium conjunctum, ab Israëlitis, Jacobo & ipso Adamo
usurpatum. Quin & denique subjungit, si Paulus à baptismo
rectè ad amictum argumentatus sit, cur non contra nobis quo-
que à vestitu Adami ad baptismum ejusdem progredi li-
ceat? quia nempe, non minus quondam, ut ex baptismo
 Jacobi, Israëlitarum & aliis ablutionibus indubium est, mu-
 tatio aut ablutio vestimentorum cum baptismo seu ablutio-
 ne totius corporis, semper conjuncta fuerit. Possent his
 fortè nonnulla non absque probabili ratione subjungi, ut,
 quòd non solum servator simul suos & abluere, & de novis
 vestibus toties iis prospicere, aut ipse ab illis indui dicitur i Joh.
 I. 7. Apoc. I. 5. Apoc. III. 18. & locc. ex Rom. XIII. & Gal. III. supra
 laudata, sed & non obscurà allusione ad primum Adamum,
 cujus sanè imaginem statuit script. in Veteri homine, hunc in-
 star vestimenti abjecti exuendum, & contra novum hominem,
 qui imago Christi τοῦ δευτέρου Ἀδάμ est i Cor. XV. 45. 47.
 induendum flagitat Ephes. IV. 22. 24. Col. III. 9. 10. quò
 posteriori loco videtur inprimis & præcedere allusio ad
 præcedentem baptismum s. ablutionem, quando Aposto-
 lus com. 5. præmittit Νεκρώσατε οὖν τὰ μέλη ὑμῶν τὰ
 ἐπὶ τῆς γῆς, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, καὶ τ. λ. *Morte igitur*
adficite membra vestra que super terrâ sunt, FORNI-
CATIONEM, IMPURITATEM, cet. Sanè nemo negare potest
hanc mortificationem membrorum, per impuritatis sub-
jectionem depingi in baptismo, ut Paulus disertè docet
 Rom. VI. 4. sqq. cum autem hanc præmittat illi vestium
 mutationi, cujus exemplum invenimus in mutatione ve-
 stium Adami, qua exiit vetus & induitur novus homo,
 E eo

29

23

22

2 27

19

15

14

13

eo ipso non obscure supponit, simile quid in mutatione vestium Adami locum habuisse. Idem adhuc clarius patet in loco parallelo Ephes. IV. 22. 24. *Ut deponatis, secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum concupiscentias erroris. Innovemini autem in Spiritu mentis vestrae. Et induatis novum hominem, qui secundum Deum conditus est in justitia & sanctitate veritatis.* Duplex hic occurrit emblemata, alterum à vestibus, & quidem veteribus exuendis & novis induendis desumptum, alterum ab innovatione, quam menti tribuit, & non solum ut distinctam à vestium mutatione proponit, sed & mediam inter illam constituit. Hujus autem emblemata in ablutione seu baptismo esse, idem Paulus Auctor est Tit. III. 5. *sed secundum misericordiam suam nos servavit, per LAVACRUM regenerationis & INNOVATIONIS Spiritus Sancti.* In quo loco uti nemo dubitare potest alludi ad depositionem vestium Adami in statu corrupto, & amictum novarum, ita non video quomodo sermo & emblemata satis cohæreant, nisi & intermedium quidam baptismus etiam in illa historiâ supponatur, unde hæc allusio desumpta sit, inprimis cum ipse naturalis ordo mirè hic respondeat. Prius enim Protoplasti, ut & in omnibus lotionibus legalibus locum habuit, debuerunt vestes (siculneas,) ut minus convenientes deponere, tum (siquidem illic ablutio quædam locum habuit) totum corpus ablui, atque sic novis illis vestimentis, quæ Dominus paravit, indui. Possent hæc, si chartæ hujus angustia id permitteret, ex locutionibus Judæorum illustrari, qui & in ablutionibus *ההדרשות* *ἀνακλυσμα* innovationem quandam agnoscunt, idque scripturâ ipsâ præeunte Ps. LI. 12. Ezech. XXXVI. 25. 26. & Adamum ipsum post vestium mutationem *בריה חרשה* novam creaturam (conf. phrasin Pauli 2 Cor. V. 17.) factum asserunt, v. BECHAI in Legem f. 15. c. Imò aut multum fallor, aut Apostolus noster iterum ad aliquam ablutionem Protoplastorum nos haud obscure ablegat Ephes. V. 25. seqq. Proponit illic arctam Christi cum ecclesiâ communionem, non solum sub emblemata conjugii

jugii inter Virum & Fœminam, sed præcipuè uti illud in Paradiso primùm inter Adamum & Evam institutum, unde omnes locutiones sunt desumptæ comm. 30. 31. *Sumus enim membra corporis ejus, ex ejus carne & ex ossibus ejus. Idcirco deferet homo Patrem suum & matrem & adhaerescet mulieri suæ, & erunt hi duo in carnem unam.* coll. Gen. II. 21-24. Tenerrimi autem amoris Christi erga ecclesiam documentum, non solum in eo constituit com. 25. quod ipse se tradiderit pro illâ, nempe *donum & sacrificium in gratum odorem*, vid. com. 2. sed & quod id fecerit, *ut eam sanctificet, mundans lavacro aquæ in verbo.* Ut *stat eam sibi gloriosam, ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid horum, sed ut sit sancta & inculpata.* v. 26. 27. Egregia quidem hîc est observatio DOUGTHÆI alludi ad lotiones rituales Judæorum & adhuc propior Cl. BOS quod *sponsæ solitæ fuerint nuptiarum die, lavacro λού- τρω νυμφικῷ dicto, abluï.* Omnium autem maximè huc facit, quod addit *Cel. ELSNERUS ex BUXTORF. Synag. Jud. Sponsam pridie nuptiarum aquâ frigidâ lavari totâmq; in aquam immergi oportet.* (conf. & KIRCHNER. Ceremon. Judaic. Divis. XXIII.) Interim non tantùm ad quodcunque generatim matrimonium, sed præcipuè ad ejus primam in Paradiso institutionem alludit, & in hac relatione com. 32. subjungit, *Mysterium hoc magnum est, loquor de Christo & Ecclesiâ*, eodem modo quemadmodum & Judæi de conjugio Adami loqui solent, ut luculenter docet VOYSIN. in *Proëm. Pug. Fid. RAYM. MARTIN.* p. 117. scribens, sic in *Tzeror hammor Sect. Bereschit* (dicunt) מִשְׁתַּחֲוִיָּה סוּד הַיְהוָה סוּד הַיְהוָה סוּד הַיְהוָה *Mysterium Adami est Mysterium Mesiaë (qui Ecclesiæ sponsus dicitur.)* Hinc igitur *συνάφεια* emblematarum & allusionum plèna erit omnémque venustatem habebit, si filius Dei, illo tempore, quo Ecclesiam sibi primùm in Protoplastorum gratiosâ assumptione, desponsavit, simul cum mactato sacrificio, ut typo traditionis sui ipsius pro illâ, spiritualis hujus lavacri ad ejus mundationem, aliquod symbolum exhibuisse supponatur.

29

23

22

2 27

19

15

14

13

tur. Addere adhuc cum *Cl. RHENFERDO* possemus *Baptismum profelytorum*, quo fœderi Israëlitarum solemniter ritu inaugurabantur, & quem Judæi æquè necessarium ac eorum circumcisionem faciunt v. *MAIMON.* in *Hilch. Ifsura Biab* cap. XIII. §. 1. sqq. quique sine dubio *baptismo Johannis & Christi* ansam dedit, cum ex eo denuò constet, solemnem in foedus receptionem non nisi mediante baptismo factam, idémque aded & in primâ Protoplastorum in foedus gratiæ receptione factum esse plusquam probabile sit. Id unum autem adhuc subjungere fortè supervacaneum non erit, quòd cum justitiæ Christi applicatio ad justificationem peccatoris hujúsque demonstrationem per justitiæ fructus, præviã necessariò habere debeat hominis innovationem, per sincerum propositum, adjutrice Spir. gratiã, semet purgandi à sordibus peccati, & sanctitati in posterum operam dandi, hæcque duo Scriptura S. toties jungat, eadémque toties novarum aut mundatarum vestium, præcedente corporis totius ablutione, amictu, symbolice depicta sint, quin & tales symbolicas cerimonias jam inter Patriarchas usitatas fuisse, constet, & indubium sit, Dominum in historiã Protoplastorum applicationis justitiæ illius cum ejus fructibus imaginem, induendo eos tunicis ex sacrificiorum pellibus paratis, dedisse, nulla ratio concipi queat, cur non & spiritalis illius ablutionis, cujus cognitio & exercitium illis æquè necessaria erant, symbolum exhibere, sicque de hujus insolubili nexu cum gratuitã illã justificatione, eos eodem modo erudire voluerit. Saltem qui in iis nondum acquiescit, neque tamen illam Patriarchalis temporis consuetudinem pro *Ἐλεοθεοσεία* habet, opportuniorem occasionem, quã illã orta sit, indicare obstrictus erit.

Ad *alias mundationes* quod attinet, quales etiam potuisse locum habere Diff. præced. p. 23. monuimus, quoniam immunditiei genera fuisse, ob quæ prior contactus fugiebatur ex historiã Rachelis probabile fecimus, videntur hæc tantùm in civilibus ritibus, sedulãque corporis

ris

ris ablutione, ab illis quæ propius commercium aliis ingratum reddebant, aut solemnî testificatione, quod talis immundities jam cessaret, sitæ fuisse, aut si quid mysticum in illis, uti deinceps in lege Mosis agnoverint, eadem, quæ de ablutionibus modo monita sunt, & hisce ritibus, eorûmq; occasione, instituendis piis meditationibus, ansam præbere potuerunt.

Eadem ratione si quis sceleribus inquinatus fuisset, sincerum propositum ea in posterum fugiendi, & mente purâ Deum quærendi, eodem ritu ablutionis, quem Jacobus à suis solemniter exigebat, commodè manifestare, aut suspicionem à se, sive totius corporis, sive manuum lotionem, publicè amoliri, suamque innocentiam testari, hincque & istiusmodi ritus & phrasès quæ eò alludere videntur, ut Job. IX. 30. originem habere potuerunt. *Lustrationes initiatorie*, quarum exemplum in lapidis dedicatione per Jacobum, primum effuso oleo, dein addito libamine factâ exstat Gen. XXVIII. 19. 22. & XXXV. 14. 15. ut nobis quidem videtur, peculiari institutione, non magis ac votum, eadem de causâ nuncupatum, indigebat. Uti enim talia vota pro concessâ à Deo libertate, à piis, ut §. X. visum, nuncupari poterant, ita & convenientes cerimonie illis jungi. Hæ enim nulli alteri scopo inserviebant, quàm ut aliquâ solemnitate & visibili medio, rem cum voti nuncupatione, & additis forsân etiam precibus, divino cultui consecrarent, quò & semet ipsos & alios tantò fortius ad voti observationem obstringerent. Ita *Jacobus*, lapidem illum solemnî ritu consecraturus in publicum cultûs locum, fortè quod nihil aliud fatis aptum ipsi ad manus erat, vel quòd oleum ob multiplices & insignes usus, ut omni tempore apud orientis populos in summo pretio esset, aut sanctum haberetur, oleo perfudit. Gen. XXVIII. Atque hoc magis conveniens videtur, quàm quòd ABEN ESR. existimat id fecisse להכירה בשוכו ut eum in reditu nosset. Unde & dein, cum, salvus reversus, & à Deo admonitus, votum solvere veller, & sive eundem lapidem, quia fortè tanto annorum tractu, collapsus aut dejectus erat, sive, additis
in-

29
23
22
2
27
19
15
14
13

insuper aliis, in majorem cippum, erexisset, [hunc *libat*
super illo libamine, denuò oleo perfudit. Gen. XXXV. 14.
 Priora verba ABEN ESR. nimis elevare videtur, dum tan-
 tùm de ablutione sive aquâ sive vino facta accipit, scribens:
 מים או יין והטעם שרחץ אותה ואחר כן יצק עליה שמן
Aquam aut vinum: & mens est, quòd abluìt eum, & dein
effudit super illo oleum. Licèt enim verbum נסך נסי
 apud Arabes *abluendi* significationem habeat, vix tamen in-
 tegra phrasis נסך נסך quæ semper majori emphasi adhi-
 beri solet, v. Num. XXVIII. 7. hanc interpretationem ad-
 mittit, & quando de *ablutione* sermo est, semper hebræi
 verbo כבס כבס aut רחץ רחץ nunquam נסך נסך utuntur. Neque ta-
 men etiam proprie dicto libamini, quale sub Lege cum sa-
 crificiis offerri solebat, hic locus est, quia nec sacrificio addi-
 tum, nec in altari, quod Jacobus modo struxerat com. 7.
 oblatum. Hinc observamus idem verbum plus semel He-
 bræis usurpari, de singulari liquidi alicujus effusione, piâ
 mentis attentione in consecrationibus, Deo factâ. Ita de
 aquâ, cum summo vitæ discrimine ex portâ Bethlehemiticâ
 ab Heroibus allatâ, cujus usu David se indignum reputabat,
 quàmque adedò Deo, qui hos Heroas servaverat, sacrabat,
 dicitur 2 Sam. XXIII. 16. & 1 Chron. XI. 18. ויסך אותם ליהוה
 & *libavit* (effudit) *illam Deo.* Conf. *Dissert. nostrarum Theol.*
Philol. Diff. X. §. XII. atque huic notioni quoque favet usus
 verbi apud Arab. quibus نسي Dei cultui devotus fuit &
 نسيو Deo devotum & نسيو locum mactanda hostiæ desti-
 natum, denotat. Unde ultrò patet, Jacobum hoc ipso nunc
 majori solemnitate, quàm antea, cippum hunc & locum
 Deo consecrare voluisse, eumque idcirco non solum majorem
 & majori apparatu erexisse, sed & prius allatâ, hoc animo
 aquâ aut vino, perfudisse, atque tum insuper oleo inunxisse,
 sicque Deo & ejus cultui denuò dicasse atque consecrasse.
 Conferatur & nostrarum *Dissertat. Theol. Philol. III.* In
 tran-

transitu autem hinc patet, quàm nullo fundamento Pontificii in hoc facto Jacobi, honorem aliquem divinum lapidi huic exhibitum, in præsidium idololatriæ suæ quærant, cujus tamen hic ne minimum vestigium invenitur, quin potius gentes maturè hoc innocuo Patriarchæ exemplo, ad idololatriam abusæ sunt, in decantatis apud Veteres *Betylis & Betylis*, & *impingendo in lapides effigatos & unctos & coronatos*, ut ait MINUC. FELIX in init. vid. ib. Ouzel. & CASAUB. ad Theophr. Charact. *περὶ δεσποδαιμ.* & conf. S. R. PATRIK. ad Gen. XXVIII. quosque ibidem laudat. Unde & Deum ob maturè invalescentem hunc abusum istiusmodi cippos in Lege planè probuisse Sect. III. ostendemus.

§. XIII.

Uti tempora sacra ecclesiæ libertati relicta fuisse Can. 6. monuimus, ita de *septimo die hebdomadis* tamen aliter statuendum est. Evicimus Dissertat. præced. §. XII. illum non solum inde ab initio cultui religioso fuisse destinatum, sed & Deum ipsum hujus rei Auctorem fuisse, dum ipse non solum eo die quieverit, sed & *illi benedixerit eumque sanctificaverit* Gen. II. 2. seqq. atque adeò primum exemplo suo ipsòque facto ab aliis separaverit. At fieri tamen facile potest, ut & disertis verbis aliquid addiderit, sive singulares promissiones tantum hoc die pronuntiando, sive etiam aliquid de ejus observatione subjungendo, hominèmq; ad eum sanctè transigendum excitando, sicque à reliquis diebus hebdomadis distinguendo. Si de die, quo homo primus lapsus & in gratiam à Deo receptus est, satis constaret, & imprimis certum esset, quod Judæos plerumque adfirmare ibidem monuimus, utrumque primo illo Sabbato factum esse, non pauca quoque hic distinctiùs expediri possent. Interim cum tamen lapsus & erectio fœderis gratiæ, non nimis diu post creationem accidisse videatur, & Deus qui omnia secundum consilium suum gubernat, etiam permissionem lapsus & exercitium gratiæ ab æterno jam constitue-

29

23

22

2 27

19

15

14

13

stituerit, seu hæc quoque ad illam rerum seriem, quæ hunc mundum constituit, pertineant, & omnia ita cohæreant, uti huic fini maximè convenit, ita & sine dubio omnia, quæ Deus ordinavit, five post, five etiam ante lapsum, ita se habere debent, uti illi statui & ordini rerum, qui mox post lapsum locum invenit, conveniens erat. Atque hinc ex ipso rerum eventu, de finibus quos Deus in illis intendit, turò iudicium ferre licet. Ex hoc principio rectè colligimus, Deum sibi triplicem potissimùm scopum in sanctificatione illà diei septimi proposuisse, *civilem, physicum & moralem*. *Civilem* appello, qui in digerendis supputandisque temporibus consistit. Hunc certè maximi momenti esse, nemo nisi omnium rerum ignarus negabit. Non enim solum Chronologia ad varii generis scientias, ad quarum culturam humanum genus inter alia utique conditum est, maximè necessaria, & in primis historiæ alter oculus est, sed & maximè arduis veritatibus asserendis, & ab hostium cavillationibus vindicandis, utilissimam operam præstet. Ex primis verò & præcipuis omnis supputationis chronologicæ principiis sine dubio septimanæ sunt, ex quarum conjunctione majora temporum discrimina supputantur. Jam autem propone tibi, B. L. primos homines, recens in hunc mundum introductos: cogita, quàm illi sui contemplatione, mutuo commercio, quot novarum & nunquam antea visarum rerum aspectu, five oculos in cælum attollerent, five eosdem per patentem undique orbem circumferrent, five creaturarum aliarum præter se, animatarum æquè ac inanimatarum diversa genera intuerentur, distrahi debuerint: attende insuper ad negotia illis incumbentia, ut Adamo in singulorum animalium appellatione determinandâ, utrique ad præceptum Dei observandum, tum verò post lapsum ad animi perturbationes inde ortas, totiùsque scenæ mutationem, ad fœderis gratiæ erectionem, ad quotidianum sensum sequelarum peccati & molestum laborem cui ob peccatum mancipati erant, & feriò apud animum tuum reputa, possis ne cum ratione induci ut credas, hos mox de

chro-



chronologiã temporum sollicitos, aut forsan vel per in-
somnia cogitatuos fuisse, imprimis cum nulla ad id ha-
ctenus occasio supereret. At forsan dices, eos facile dies
numerare, sicque ex motu lunæ & solis, *mensēs & annos*
tam *lunares* quam *solares* determinare potuisse. Verum
uti concipi nequit, fieri potuisse, ut inter tot alias occu-
pationes ad numerum dierum tam sollicitè attenderent, in-
que eo, ubi is magis magisque crescebat, non errarent,
& præterea ostendimus loco adducto, jam ante diluuium sup-
putationem hebdomadum verè locum habuisse, neque ta-
men quoque concipi posse, quomodo id fieri potuerit, ni-
si aliqua solemnitas jam ab initio obtinuerit, quã septimus
dies, ut ultimus præcedentis hebdomadis, à primo sequen-
tis distingueretur, unde præcipuè evicimus, jam à creatio-
ne observationem septimi diei introductam esse debere, ita
ridiculum foret statuere, ab initio ex motu lunæ & solis
mensēs & annos fuisse determinatos, cum utique non exi-
guum tempus, & certè plus quàm mensis & annus, elabi de-
buerit, quibus motus lunæ & solis observaretur, antequam
motus hujus ratio, & inde orti diversi mensium annorum-
que articuli determinari possent, ut adeò vel tota chrono-
logia priorum temporum vana, imò nulla esse, vel quæ
Moses ea de re tradit, non à majoribus accipere, sed ex
immediatâ revelatione didicisse debuerit, quod est miracu-
la citra necessitatem multiplicare, imò Scripturam sacram,
illorum qui irreverentius in eam adfecti sunt, sannis expo-
nere, vel admitti debeat, singulari Dei providentiã hunc
septem dierum cyclum, ut primum certumque omnis chro-
nologiæ principium atque fundamentum, in initio consti-
tutum esse. Possẽm hic addere, quæ Veteres de *numero*,
septenario, in primis in supputandis temporibus adferunt,
& cum illis conferre quæ scriptura de supputatione *septem*
hebdomadum, de *annis sabbaticis*, de *jubilæis* post *septies*
septem annos, de *hebdomadibus annorum* in supputatione du-
rationis captivitatis babilonicæ docet, de quibus in com-
pendio consuli potest, Eruditiss. J. J. Schmid in; *Matthem.*

bibl. cap. II. & ad quos ipse provocat, sed hoc nos nimis à proposito abduceret, ut & si hujus numeri usum in majoribus temporibus supputandis fusiùs prosequi vellemus. Sufficiat igitur hic nobis testimonium Principis Chronologorum, J. SCALIGERI, scribentis Can. Psagog. Lib. III. p. 205. Divinitus igitur institutus est numerus dierum septennarius, qui ad omnem civilis anni solaris rationem commodissimus est, & ut dixi, nescio quid Deo habet.

Finis physicus est, ut inter continuos labores hominibus jumentisque semper necessaria quies indulgeatur, secundùm illud TIBULLI Lib. II. Eleg. 1. 5.

*Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspensò vomere cesset opus.*

Hoc quidem præcipuè post lapsum locum habet, sed & tum sanè non leve beneficium, & providæ Dei in genus humanum curæ argumentum est, postquam mortales, ad molestos per omnem vitam labores justâ ejus sententiâ damnati sunt Gen. III. 17. sqq. atque adeo optimum dierum ipsorum, nil nisi *למלאכה וזוהר* labor & vanitas est Ps. XC. 10. Certè quoties hæc apud animum meum expendo, admiror providi Numinis benignitatem, quæ hoc ipso occasionem suppeditavit, inde ab initio usque ad seriora hæc mundi tempora, ut homines, præcipuè sub molestioris laboris onere ingemiscentes, uno ex septem hebdomadis diebus, ad reparandas vires, respirare possint, neque inconveniens censeo, ut hoc beneficio, modo omnis abusus absit, grato animo utantur.

Moralis cum hoc physico arctè conjunctus est, quem non rectiùs indigitare possum, quàm Summi COCCEJI verbis ib. quoque adductis ex ejus Cur. prior. quòd exemplum & monumentum homini reliquerit suo factò, ex omni labore suo, ad quietem in Deo adspirandi, & certum tempus ad seponendum laborem suum, & se in communiōe multorum in Deo oblectandum, sumendi. Atque hinc rectè ulterius deduxi loc. adducto, nullum in posterum tempus, nullum diem ad id oppor-

opportuniorem fuisse, quàm singulis hebdomadibus recurrentem. Eleganter & oppositè admodum hanc in rem magnus CALVINUS. *Quare benedictio ista nihil aliud est, quàm solemnitas consecratio, quâ sibi Deus studia & occupationes hominum asserit die septimo. Est quidem hæc legitima totius vitæ meditatio, in quâ se quotidie exerceant, immensam Dei bonitatem, justitiam, virtutem, sapientiam in hoc magnifico coeli terræque theatro considerare: verum si fortè minus sedulò quàm par esset, ad eam intenti essent homines, ad supplendum quod assidue meditationi deerat, septimus quisque dies peculiariter delectus est.* Hinc autem ultrò patet, hanc diei septimi observationem ut Dissert. ultimâ seu Sect. III. ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ καὶ ζήσομεν propiùs ostendemus, immensum quantum à Sabbati judaici celebratione differre, cùm illa nihil onerosi contineret, neque in se in severâ à labore abstinentiâ sita fuerit, sed tantùm, ut in ordinario & minus necessario opere cum molestiâ occupati mortales (cùm pluribus intentus minor sit ad singula sensus) non impedirentur, sanctis meditationibus aliisque pietatis exercitiis indulgere. Benè idcirco mox subjungit laudatus CALVINUS: *Neque enim septimo quoque die simpliciter hominem jussit Deus ferias agere, quasi otio delectetur: verùm ut negotiis aliis omnibus sepositis, liberiùs mentes suas ad Creatorem mundi applicent.* Ut adeò minus rectè non solum rationes subducant, qui liberam hanc & Evangelicam diei septimæ observationem, cum Sabbati judaici celebratione confundunt, & ex illâ præcepti IV. moralitatem adstruere quærunt, sed & illi, qui ad eorum objectiones refellendas, ipsam septimi diei ad solemniora cultûs exercitia observationem, contra evidentissima argumenta, inficiari non dubitant.

Uti autem Deus ipse hac determinatione hominibus exemplum dedit certa tempora cultui suo impendendi, & sine illis non sat commodè plurimum eum in finem conventus agi possunt, neque Deus ipse, quantum constat, ulterius quid hac in re determinavit, atque adeò censeri debet, eam libertati piòrum reservasse, quod & tantò rectiùs fieri potuit

29

23

22

2 27

19

15

14

13

potuit, quò minus talia ad essentiam cultùs rationalis faciunt, ita vix ambigi potest, quin & alia sive in perpetuum observanda, sive etiam in extraordinariis casibus, uti id maxime conveniens videbatur, constituerint, conf. Can. 5. inprimis cum & talia verè observata fuisse, probabilibus argumentis, sub finem §. XII. Dissert. præcedent. seu Sect. I. ostenderimus.

§. XVI.

Erectio Foederis, uti ab ejus beneplacito pendet, cujus ut partis nobilioris est, utrum velit hominem iterum in fœdus recipere, fœderisque bona illi impertiri, nec ne, ita Deum quoque unice Auctorem habet. Confirmat id ipsa historia ævi Patriarchalis. Ipse sanè id, in primâ fœderis gratiæ cum Protoplastis introductione ejusque adjunctis, ostendit v. supra §. IV. Idem patet in fœderis cum Noacho instauratione. Gen. IX. 9. sqq. nec minus in peculiari illo, quod cum Abrahamo ejusque posteris iniiit Gen. XV. 18. in quo & id inprimis notandum vidimus, quod ipse singularis illius ritùs dissecandi animalia & per earum partes transeundi, qui adhuc serioribus sub lege temporibus obtinuit Jer. XXXIV. 18. institutor fuit, Gen. XV. 9. sqq. Eidem autem Sacramenta fœderis ordinare competit, utpote cujus non solum digniores in fœdere partes sunt, sed & qui solus bona sacramentis obsignata largiri potest, & sine cujus institutione, hæ cerimonie quoque ad *ἱεροσολωνικῆς* pertinent, Deo tanto opere exosam (v. dicta ad Can. 3.) Probat idem *circumcisio* ab eo diserte Abrahamo & domui ejus inuncta Gen. XVII. 9, 10. quæ licet dein peculiarem adhuc relationem ad fœdus Sinaiticum acciperet, tamen, quem tum quoque adhuc servavit usum, ut esset Sacramentum *fœderis gratiæ* jam tum ipso Deo auctore accepit Rom. IV. 11.

§. XV.

Ab institutis cerimoniisque sacris transeuntibus nobis
ad

ad *statum*, *politicum* & *oeconomium* occurrebant primùm
 Sect. I. §. XIV. *jura Goëlatûs & Levitatûs*. Horum autem
 uti nulla institutionis divinæ indicia exstant, ita hac quoque
 opus non erat, cùm abunde ex naturali relatione hominum
 ad se invicem & salute tam reip. quàm familiarum deduci
 queant. Cùm enim Deus humanum genus ad mutuam so-
 cietatem atque auxilium condiderit eamque ob causam omnes
ex uno sanguine deduxerit, (Act. XVII. 26.) unde & se mu-
 tuò ut *carnem suam* considerare debent Jes. LVIII. 7. hinc
 necessariò alter alterius commoda promovere obstrictus est,
 cùm autem unius ad alterum tantò arctior sit relatio, quò
 eidem sanguine propinquior, hinc & obligatio major. Ac-
 cedit quòd, licèt officia absque intuitu mercedis præstari
 debeant, & commoda tamen cum hac obligatione naturali
 nexu conjuncta, eam non parum ultrò commendent, dum
 non solùm ex eodem fundamento eadem officia ob eandem
 relationem vicissim exspectari queunt, sed & præterea, vi
 ejusdem naturalis relationis, in casu mortis, proximi cognati
 propinqui ad ejus bona propius jus habent. Ex his igitur
 principiis, ultrò sine dubio obligatio introducta, ut sanguine
 proximus alteri in periculis succurreret, ejus personam &
 bona assereret, quin & occisi sanguinem vindicaret, quæ
 omnia *Goëlatûs* jura erant, ante ipsam Mosis legem jam vi-
 gentia. Atque hæc *vindicta sanguinis* inprimis in hunc diem
 apud Orientis populos tam stricti juris censetur, ut nec ipsi
 Principes eam, licèt summo studio cupiant, impedire aut
 denegare queant, cujus rei memorabile admodum exem-
 plum adfert Eduard. Melton Itinerar. P. IV. cap. XII. Ex
 eodem fundamento fluebat, ut Goël hic ex veteri consue-
 tudine in bona defuncti proximum jus haberet, si & defun-
 cti viduam ducere vellet, quæ hoc ut jus quoddam postu-
 lare poterat, quâ in re tamen iterum ex eodem fundamen-
 to propinquitatis gradus observari debebant, v. Ruth. III.
 9. seqq. & IV. 1-6. Cùm autem quis hoc jus suum se-
 quenti proximo cognato cedere vellet, ut de re publicè
 constaret, litesque adeò præciderentur, solemnè quodam

F 3

signo

29

23

22

2

27

19

15

14

13

figno id testari debebat, quod in *exutione calcei* ejusque *traditione* alias in emtione venditione usitatâ consistebat ib. IV. 7. seqq. Cujus ratio à venditione agrorum petita fuisse videtur, in quibus dum quis pedibus sæpius quamdiu eorum possessor est, ambulat, hinc tradendo calceum, quo mediante id sæpe factum est, jus & possessionem alteri tradit, eodem modo, quo projectio calcei super regionem aliquam, ejusdem occupationem innuit Pl. LX. 10. CVIII. 10. Hoc autem signum ex hominum placito introductum, vel inde patet, quòd Judæi id pro temporum discrimine diversimodè pro lubitu mutarunt, & Paraphrastæ Chaldæi ævo jam loco calcei *chirothbecâ* usi sunt, ferioribus autem temporibus, *sudarium* aut *peplum* adhibere cœperunt, v. SELDEN. de *J. N. & G.* Lib. VI. cap. V.

Leviratum, quo ejus qui improlis decefferat viduam, frater & quidem successivè secundum ordinem ætatis ducere tenebatur, dudum ante oeconomiam Legis obtinuisse ex Gen. XXXVIII. 6. ibid. evictum dedimus, unde & patet, non ut scribit SELDEN. de *J. N. & G.* nonnunquam locum habuisse, sed *juris* fuisse, quia *Juda* non solum arte id eludere quærebat, quâ opus non habuisset, nisi jus obstitisset, sed & dein fateretur, *Thamarem se justiore esse*, quoniam illi filium *Sela* non dederit. Cùm autem nullum hac de re præceptum divinum aut vestigium ejus exstet, rectè ABARBANEL ad h. l. censet, hoc non *juris divini* sed *civilis* fuisse: & quidem videtur ex peculiari ratione familiæ Patriarchalis introductum esse, non solum ad bona familiarum in illis tantò rectius conservanda, sed & nomina singularum in catalogis genealogicis continuanda, inprimis ut, cùm Messias ex earum unâ aliquando nasceretur, illorum quoque inter ejus majores ratio haberetur, quamobrem & primus ex tali conjugio editus filius non propriè dicti patris, sed defuncti filius censebatur, & ut talis genealogiæ inferebatur vid. ib. 8. & 9.

De-

Denique & jus hoc confirmat, quòd Juda Thamarèm, cum eam mœchatam esse intelligeret, morte puniendam pronunciat, cujus nulla ratio fuisset, si non, ex *jure Levitatis* & illi *superstructâ desponsatione*, pro adulterâ reputata fuisset. Quòd autem fornicatio desponsatæ, jam tum non minus quàm deinceps (v. Matth. I, 20. & Luc. II, 5. & conf. Wagenf. Sora cap. II. mischn. 5.) pro adulterio haberetur, sine dubio inde fuit, quòd essentia matrimonii propriè in mutuo consensu consistit, hujusque contractûs sanctitas exigit, ut sive initus sive consummatus, sanctè seruetur, quod ipsum, & ut varii generis incommoda evitentur, quoque dein necessarium fecit, ut publicis quibusdam cerimoniis, apud omnes passim populos solemnibus quædam ratificatio, quam ante Legem Judæi abuisse volunt, v. SELD. de J. N. & G. Lib. V. c. IV. accederet.

Ex eodem exemplo patet, jam tum poenam adulterio statutam quam dein Lex propiùs determinavit, ultimum supplicium fuisse. Quod sine dubio ob atrocitatem criminis factum, quæ & plurimas gentes ad eandem sententiam permovit, ut fusè ostendit SELDEN Lib. III. Uxor. Hebr. cap. XI. & XII. Interim cum de supplicio *vivicomburii* Leges Judaicæ nihil nôrint, nisi in filiâ sacerdotis, quæ mœchata esset, quale quid in Thamarè locum non habebat, meritò dubitatur, an id Juda ex sententiâ Legis, an verò ex nimio fervore & odio Thamaris pronunciaverit.

§. XVI.

Sic tandem ordine, quem Dissert. præced. secuti sumus, in examine eorum quæ ad statum oeconomicum pertinent, & inprimis ad matrimonium, deducti sumus ad *polygamiam*. Ubi ejus quidem iniqui Patroni effecerunt, ut nonnulli timidiùs de illius in populo Dei, quin & ipsâ patriarchali familiâ usu, loquerentur. Verum uti sub Lege eam, inter Judæos locum habuisse, ex innumeris exem-

27

23

22

2 27

19

15

14

13

exemplis in sacris occurrentibus, negari nequit, idemque in hunc diem usitata inter orientis populos consuetudo confirmat, ita evidens quoque est, ex exemplis *Abrahami*, & *Jacobi* à nobis Diff. præc. §. XIV. allatis eam non penitus ex Patriarchali familiâ exfulasse, At nihil tamen id ad eandem defendendam facit. Nam

1. Deus eam sanè nullibi instituit nec approbavit, conf. Can. 9.

2. Neque eadem juris naturæ est, aut ex ejus principiis, deduci potest, quin illis potius contrariatur. Quia jus naturæ vult propagationem generis humani per conjugium, huic autem non solum sufficit monogamia, sed & magis convenit quàm polygamia, quoniam uti experientia testatur, cujus rei & sufficiens ratio dari potest, in regionibus ubi monogamia viget, ut in Europa (licet incredibilis multitudo ob votum castitatis in coelibatu vivat) longè tamen plures homines inveniri, quàm in regionibus in quibus polygamia obtinet. Imò quod magis est, ex constantibus certissimisque observationibus, quas *Petty*, *Graunt*, *Maitland*, *Struyck* & *Süsmilch* singulari studio collegerunt, indubiò nunc constat, plures nasci mares quàm fœminas, esseque minimùm proportionem illorum ad has ut 14. ad 13. unde si uni tantùm viro duæ ducerentur fœminæ, plus quàm dimidia virorum pars sociam non inveniret. Cùm igitur natura ejusque Auctor Deus omnes ad generis propagationem condiderit, hæcque per polygamiam obtineri nequeat, ultrò patet, illam non per polygamiam intendisse sed hanc illi potius repugnare. Quæ omnia egregiè deduxit *Illustr. L. B. à WOLFF.* in Jure Nat. P. VII. §. 293. seqq. Quibus meritò quoque addit idem prima juris naturæ in brutis confirmare. §. 297.

3. His meritò superstruimus. quòd Deus ipse sine dubio in primâ matrimonii institutione optimæ rationis propagandi genus humanum suæque in illà intentionis exemplar dederit. At ab initio ita non fuit, sed unum marem & unam fœminam condidit, ut Servator ipse argumentatur *Matth. XIX. 4. seq. coll. Mal. II. 15.*

4. Al-

4. Alius finis, quem natura ejusque Auctor in matrimonio intendit, est *mutuum adiutorium* Gen. III. 18. & *educatio sobolis*. Prius non potest ritè obtineri, quoniam & amor inter plures divisus satis tamen esse nequit, & plurium feminarum in unâ domo conjunctio, invidiam, rixas atque dissidia parit. Quod omnium temporum exempla in domo *Abrahami*, *Jacobi*, *Davidis*, & aliorum demonstrant.

5. Nec educatio sobolis, quoniam ad eam sollicita Patris æquè ac matris cura requiritur, hæc autem ad id ut oportet ritè conjungi nequit, ubi prioris per polygamiam ad diversa objecta distrahitur. Inprimis verò memorata dissidia & turbæ in familia familiæque incommoda necessariò hic plurima impedimenta injiciunt. *conf. III. WOLF. l. c. §. 296.* sq. atque hoc non minus exempla rixarum inter liberos in modo memoratis familiis corroborant. Unde & Deus idcirco inprimis in initio non nisi duos condidisse dicitur, *quia quærebat semen Dei.* Mal. loc. add.

6. Dein nec de nihilo est, quòd ea primùm introducta non in familiâ sanctâ sed impiâ Cainitarum, dum quantum constat, LAMECH septimus ex Caine primus à primâ illâ matrimonii institutione sumtâ geminâ uxore *Adâ* & *Zillâ* recessit. Gen. IV. 19.

7. Denique nec illud prætereundum, duos Patriarchas ABRAHAMUM & JACOBUM non tam destinato consilio polygamiam exercuisse, quàm ad id, quod factum, speciosis prætextibus inductos fuisse. Abrahamus acceperat amplissimas promissiones, de numerosissimo semine, quod terram Canaan hæreditario jure possessurum, imò ex quo ipse Messias proditurus esset. Sara promissionum implementum non minori desiderio, quàm Abrahamus ipse, anhelans, suamque ætatem ad pariendum præteriisse videns, in eas cogitationes dilabebatur, forsân id ex aliâ muliere fieri posse aut debere. Hinc ipsâ Abrahamo persuadebat, ut eum in finem Hagarem sibi jungeret. Gen. XVI. 2. Accedit quòd & eam non propriè in uxorem alteram duxerit, quod in polygamia propriè dictâ obtinet, neque hoc facto uxori legitime injuriam fecerit, cujus consilio & rogatu omnia facta.

G

Jaco-



Jacobus autem nihil in animo habebat, quam totannorum servitio sibi acquiram Rahelem ducere, sed fraude *Labanis* circumventus, suppositâ pro illâ sorore *Lea*, eò inductus est, ut eam cum desponsarâ sibi prius *Rabele* uxorem retineret. Et commercium cum utriusque ancillâ, ipse quoque non quæsit, sed ubi improlis *Rabel* sterilitatis impatiens, & *Lea* fecunditatem invidens ex ancillâ suâ liberos sibi excitari quærebat, *Lea* idem à marito sibi jus extorquebat Gen. XXX. 3, 9. Ut ad eò licet in his viri pii à nævis minimè immunes fuerint, unde & justâ Dei providentiâ, ex eadem re, tot ægritudines atque incommoda illis nata sunt, tamen magnum inter hæc & deliberato consilio in iram polygamiam discrimen sit. Præcipuè verò ex his omnibus patet, Deum hæc neque jussisse neque approbasse, non magis quam conjugium cum duabus sororibus, quales *Lea* & *Rabel* erant, sed illa potius tolerasse v. Can. 9. quod facere tantò majori jure potuit, quò magis ea tantum fieri sivit, & ad fines se dignos occultâ providentiâ sanctè moderatus est.

Divortii exemplum ante œconomiam Legis nullum exstat, expulsio enim Hagaris ejus non nisi speciem habet, cum nunquam ea in legitimam uxorem assumpta esset, & expulsio ipsius Dei, qui nunquam illam conjunctionem jusserat, expresso mandato, ob insolentiam tam Hagaris quam filii evenit. Gen. XXI. 14.

§. XVII.

Restat in statu domestico *origo juris primogenitorum*, & quidem *Patris*. v. Diff. I. §. XV. Hæc autem eadem sine dubio, quæ Goëlarûs sunt. Sc. jure naturæ parentibus cura promovendorum commodorum atque hinc & regimen in liberos & familiam competit, v. *Illust. WOLF.* in J. N. P. VII. §. 65. sqq. cum autem, illis decedentibus, aut aliâ ratione ad munia hæc obeunda impeditis, salus familiarum requireret, ut id per alios fieret, nulli autem ceteris paribus, si nempe idoneis requisitis instructi essent ad eadem procuranda propiores erant, quàm qui aliis ætate majores erant, inprimis quia hæc ætatis prærogativa, non solum illis aliquam naturalem prioritatem atque auctoritatem dabat, sed eadem quoque ordinariò cum majori experienciâ & prudentiâ in rebus agendis conjuncta esse solet. Deia;

Deinde cū devolutum in eos munus Patris familias majorem curam atque onus, in totius familiæ commodum requireret, æquum erat, ut ad aliqualem ejus compensationem, in bonis & hæreditate paternâ aliquâ quoque prærogativâ gauderent, unde gemina illis in hæreditate portio concedebatur: inprimis cū hoc ipsum & necessariæ ipsorum auctoritati pondus aliquod adjiceret, & illis simul media ad eandem tantò facilius tuendam suppeditaret. Quæ adeò videntur vera prærogativarum hujus primogenituræ principia fuisse, idque tantò magis, quò magis qui per scelera admittâ manifestum faciebant, illa commoda familiæ ab ipsis expectanda non esse, iisdem privabantur dignioresque in eorum locum substituebantur. Sic *Rubeni* ob incestum, *Simeoni* & *Levi* ob crudelitatem in Sichemitas commissam adimebantur, & Principatus in quartum *Leæ* filium *Judam* ordinè à *Jacobo* transferebatur. Quia a nimium videri posset, si is omnia solus acciperet, cū *Josephus* etiam primogenitus *Jacobi*, licet ex aliâ conjuge, *Rahele* nempe, quæ *Jacobo* jam ante *Leam* desponsata fuerat, illi dupla portio hæreditatis assignabatur, conf. Diff. I. §. XV. Tantò autem majori jure Patriarchæ in juribus primogenituræ virtutis rationem habuerunt, quò magis ipse Deus *καταδικάζων* non solum fatricidam *Cainem*, illis indignum habuit, sed & providentiâ suâ illa ab *Esavo* in *Jacobum* transtulit. v. Hebr. XII. 26. Gen. XXVII.

S. R. Episc. CUMBERLANDUS in *Orig. Gent. Antiq. Tract. IX. de Legib. Patriarch.* Cap. VI. observat circa hæreditatis divisionem in *Jobo* laudari, quòd filiabus quoque hæreditatem inter fratres dedit *Job. XLII. 15* quod cū hîc ut singulare quid adnotetur, meritò inde colligitur id ordinario tum non magis quàm dein sub Lege factum esse, ut tantò nempe rectius avita bona in familiis conservarentur. Contrarium autem non immeritò censetur *Jobus* fecisse, quòd illas inter filios propinquis nubentes retineret, non ad vicinas gentes, tum plerasque idololatrias, transfirent v. POLUS & not. margin. Anglor. ad h. l.

De illis quæ monuimus Diff. I. §. XVI. à quibusdam ex jure Noachidarum ad Patriarcharum ævum referri Deo volente aliquando inter VII. præcepta Noachica ex professio agemus.

§. XVIII.

In discrimine animalium mundorum & immundorum non possumus subscribere sententiæ S. R. Episc. CUMBERLANDI l. c. Cap. II. sub finem afferentis nulla alia in *Mosis* Lege munda aut immunda constitui,


27
23
22
2
27
19
15
14
13

tui, quam quæ sic pridem habita erant. Ex Lege enim Moſis *capreæ* & omnia *cervini generis* munda & ad eſum licita erant, v. Deut. XII. 15. 22. & XIV. 4. 5. ut & inter aves præter alias de *gallis & gallinis* indubium eſt, at nemo tamen horum quicquam in ſacrificia oblatum eſſe cum ratione affirmabit. Unde autem diſcrimen illud mundorum & ad ſacrificia aptorum ortum ſit, determinare hæud facile licebit. Genef. XV. quidem ipſe Dominus quinque illa *boves, oves, capras, columbas* atque *turtures* adducere Abrahamum diſertè juſſit, ſed unde idem Noacho, qui & ex omnibus *animalibus & avibus mundis* obtuliſſe legitur, notum, non conſtat. Neque quicquam ſuper eſt, quàm ut vel præter ea, quæ ex ſacrificiis in primâ fœderis gratiæ erectione Protoplaſtis innotuerunt, ſupponatur, Deum qui Noachum de introducendis in arcam mundis animalibus admonuit, eundem quoque de eorum di-verſis generibus propriùs erudiſſe.

§. XIX.

Tertiâ hujus argumenti parti, quâ oſtendendum, cur Deus deum, horum, quæ ante Legem Moſis dudum obtinuerunt, quædam per eam denuò præſcripſerit, & quid per illam Legem mutationis illis acceſſerit, tertiâ denique Diſſertatio, quæ & tertiâ ſectionem conſtituet, ſuo tempore *et* *et* elaboranda, dicata manebit.

TANTUM.



Variæ Theſes.


- I.
Falſiloquia licita eſſe, nullo ſolido argumento poteſt adſtrui.
 II. Interdictum ſanguinis, cum maximè Chriſtianos minimè obligat.
 III. Abſque *Æſthetices* cognitione non poteſt inſtitui accurata exegeſis Sacrorum.
 IV. Ineptum eſt, per loca inferiora terræ in Sacris intelligere uterum *Mariæ*.
 V. In explicandis locis vaticiniorum *V. T.* nihil valet argumentum, quod ea, aut aliquid ex illis adducatur in hiſtoria Jeſu, ergo totum ſermonem, in quo legitur, continere vaticinium de Chriſto. Sed ad eſſe debent alia criteria vaticinii.
 VI. Studium typicum, nititur tantum revelatione Divina.
 VII. Ex illa rectè affirmamus *Jonam* eſſe typum Chriſti.
 VIII. Ideæ rerum poſſibilium ſunt eterna, nec à Dei voluntate formata, nec ab ea dependent, ſed infinito ejus intellectui neceſſario inſunt.
 IX. In *S. Cœna* verus panis non ſolum adhibendus, ſed & neceſſariò frangendus eſt.
 X. Utrumque enim, à Chriſto factum, & fractio ſingulare momentum ob ſpiritualem ſignificationem habet.
 XI. Deus non poteſt contradictoria facere, neque adeo talia etiam per infinitam Dei potentiam in Sacramentis locum habere queunt.





Index


1. Jo. Christ. Guil. Meijer (Prof. C. F. Polzic) Demonstratio hominem integrum, qui progreditur ad statum confirmatus in bono, nobiliorum esse eo perfectiorem creaturam bonis angelis.
2. Jo. Christ. Muller (Prof. Phil. Nic. Wolff) Demonstratio ex principiis rationis dari corpora Angelorum.
3. De eo quod nimium est circa Potentiam Diaboli diffinendam. (Prog.)
4. Jo. Andr. Gottf. Schekelig de Vita humana, imprimis ejus brevitate hodierna hujus causis.
5. Jo. Frid. Rector (Prof. Christ. Matth. Gaffio) de Somno Animarum post mortem, contra Dormitantes.
6. Jo. Nic. Seipius de Cultu Dei mechanico.
7. Nic. Nonner de Phrafi S. S. Timens Deum atq. Timor Dei.
8. a. Bernh. Frid. Luiffordius de Notione Filiorum & Filiorum Dei biblicâ.
b. ————— de Notione Filiorum Dei.
9. Christ. Matth. Gaffius de Moralitate, originibus & Finibus Sacrificiorum in genere.
10. Carl. Spenius de Institutis & Cerimoniis Legis Moysicae ante Moysen Continuatio h. Diff.
11. —————
12. Franc. Ulr. Ries de Anâ Foederis ejusq. Fatis & Significatione eorum mysticâ.
13. Lev. Henr. Seelhorpius de Termino Nativitatum V. T. ultimo.
14. Nic. Nonner de Sufficiâ armorum Israclitarum adversus Canaanos.
15. Jo. Christ. Gurgmann de Epochâ N. T. primâ intervallis discernendâ.
16. Jo. Aug. Walpergerus (Pr. S. S. Baumgarten) de Missione Christiana ad Dei veritatem, eorumque ^(ones vindictis) gressus oppositi.
17. Frid. Aug. Schubarth (Prof. Ed.) de Immortalitate Christi & Christianorum.
18. Ad. Frid. Ern. Taubert (Prof. S. G. Walch) de Apostolorum Peccatis actualibus.
19. Nic. Nonner de Diffidiis inter Vocatos Ex-Judaos & Ex-Paganos tempore Apostolorum.
20. Christ. Aug. Heumannus de Vocatione divinâ ad Ministerium ecclesiasticum.
21. Christ. Will. Weisenborn (Pr. S. S. Baumgarten) de Veris signis Vocationis divinâ ad ministerium ecclesiasticum.
22. Joh. Phil. Frobenius de Prudentiâ pastorali ad signa hujus temporis compositâ.
23. Dav. Tonath. Cless (Prof. C. H. Gaffio) de eo quod justum est circa recedenda vel retinenda delicta occulta, etiam ^(atrocia).
24. Jo. Christ. Guil. Meijeri Commentatio quâ sui Excommunicandi Ecclesiâ vindicatur.
25. Steph. Favorskian ^(Simplicius) de doctrinâ hereticorum noviter ab Ecclesiâ se ardentium, quem ~~Antichristum~~ ^{Antichristum} ~~Antichristum~~ ^{Antichristum} Georg. Berth. Bilfingerus, in latinum sermonem, translatum, examinavit & Notulis suis auxit.
26. Sam. Jo. Christ. Lampert (Prof. S. F. Hillero) de Obligatione ad Martyrium.
27. Joseph. Frid. Bando (Pr. S. S. Baumgarten) de Discrimine Virtutum aeternarum & aespantium post mortem.


~











eiusque speciebus Conf. excell. CARL. GOTTH. MVL-
bracceptorem pie veneror, in Philosophia Praef. Vniuers.

eciales quae forte adhuc distingui possent haud difficile ad
neratis referendae sunt.

§. XCII.

perfectio. Perfectionis magnitudinem consti-
et multitudo consentientium. In virtute con-
es DEI et libertas spirituum. Illae autem sunt
haec inter finita summum, summa igitur virtutis
er finitas.

§. XCIII.

statui nostro infert realitates, ergo voluptatem
abilem aut non; si prius, perfectio est vera.
nisi aeterna esset, rationem contineret taediorum,
eius cum statu nostro consentire nequit. Per-
terna.

obiectionem petit contra hunc §. 93. ex superioribus,
3. Ille cogitet 1) quod bona huius seculi sint modo hy-
1, quod ex ipsa eorum denominatione patet; hic autem
e loquimur absolute vera, nulli entis intelligentis statui
2) Quod omnia bona transitoria quibus proportionata
petitio, consecraria sua per totam durationem nostram

§. XCIV.

perfectio vera aut est finita, aut infinita. Prior,
i capax sit; nihil quoque sit sine rationata per
libet etiam illius consecrarium consentiat, haec
tione finita successiue existant, et consentienti-
augeant; Inde autem perfectionis magnitudo
sequitur quod perfectio vera finita sese semper
m. Perfectio finita, non praegnans, grauida,
a est perfectio vera.

apparens cum modo perfectionis speciem habeat per erro-
ue in se sit imperfectio; tandem in taedia degenerat, talis
tio hoc respectu admodum sterilis est, foecundum tamen
incipiam.

E 2

Perfe-

